
K


DE SALERNITANÆ ECCLESIAE EPISCOPIS, ET ARCHIEPISCOPIS CATALOGVS.

AVCTORE GASPARE MVSCA,
EIVSDEM CIVITATIS
Præsbytero.

AD ILLVSTRISSIMVM ET AMPLISSIMVM
Virum D.D. MARIVM BOLOGNINVM
Salernitanum Antiſtitem.


CVI CONIVNCTVM EST COMPENDIOLVM DE Vita & geſtis Diui Matthæi, ad augendam ſui, ſuorumque conciuium, Pietatem conſcriptum.






NEAPOLI, Ex Typographia Stelliolæ ad Portam Regalem. M. D. XCIIII.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO D. MARIO BOLOGNINO Archiepiscopo Salernitano.





GASPAR MVSCA EIVSDEM CIVITATIS Præsbyter. F.



VM ego (Natura Duce) propēsus semper fuerim (Illustrissime Antistes) ad rerum naturalium studiū, ad, earūq; præsertim, quæ magis occulta, magisq; recondita sunt, indagationem: ab ijsdem ipsis, ad, illarum potißimùm, quæ sunt à nostra memoria, propter vetustatem remotæ, quòd humanas regāt actiones, ac moderentur, inquisitionem, ità equidem sum vehementer incitatus, vt antiquissimum quodq; scriptum, ac monumentum Salernitanæ Ecclesiæ, cuius regimen Amplitudini tuæ (Spiritus sancti ductu) Philippus inuictißimus Hispaniarum Rex, iamdiù tuas recognoscens virtutes, libenti animo committi

voluit: maiore ſanè labore, q̃ pro viribus mei corporis, accuratiſsimè conquiſitũ, nõ ſemel tantùm, ſed ſæpiùs etiam legerim, ac euoluerim. Cumq; hoc tempore, ex ſtudijs hiſce, laboribuſq; meis, non facilè veniret in mentem, quod ſcriptione dignum videri poßet: tandem mihi, in ea cogitatione, curaq; dum verſor, viſum eſt, eorum Præſulum, qui à primis, vſq; ad hæc tempora, Salernitanam rexerint Eccleſiam, ſiue ij Epiſcopi, ſiue Archiepiſcopi, ſiue S. R. E. Cardinales fuerint, quanta fieri poßit maxima diligentia, non modo Catalogum conſcribere, ſed quæ ad illorum geſta, & tempora pertinere poßent, quàm breuiſsimè comprehendere: vt vno velut intuitu poſſet vnuſquiſque quicquid ad id argumentum ſpectaret, percipere. Idcircò enim videtur mihi Dominus ſingularibus illos voluiſſe ornare virtutibus, vt ſuorum maiorum, ſucceſſores dißimiles haud eſſent, & in ijs, tanquàm in pellucida quadam chryſtallo, optimæ vitæ, optimarumque actionum pulcherrimam intuerentur imaginem. Sed hic à me labor, eſt libenti planè animo ſuſceptus, primũ, vt religioſiſsimis DD. de Capitulo Viris à quibus beneuolentia magis (vt arbitror) q̃ iudicio permotis, onus mihi fuerat honorificè impoſitũ,

vt


vt vetera Ecclesiæ nostræ monumenta asseruarem, perlegerem, ac euoluerem, huiusmodi Catalogum in lucem proferens, satis aliqua ex parte facerem: Deindè, vt Amplitudini tuæ illum dedicans, mei studij, obseruantiæq́, quantam, nostra valet infirmitas, significationem præberem. Quemadmodum verò ipse nunc inter quamplurimos, qui in hoc libello recensentur, Præsules (secundum temporum seriem) es postremus: ità quidem in spem venio, fore, vt pulcherrimo illo principio, particeps nimirum factus integritatis Sex primorum, magnæ, atque admirabilis Sanctitatis Episcoporum, cùm & in Amplitudine tua cunctorum prorsus, quotquot antecesserint Antistitũ virtutes, imaginario quodam circulo fuerint expletæ: sic finem conficias, & postquàm diutiùs in Domino hic vixeris, maioraque pro Ecclesia Sancta Dei obieris munera, in cœlum euoles, æternæ beatitudinis fructum ex illo sempiterno, & maximè admirabili Sanctissimæ Trinitatis circulo fœliciter percepturus. Accipe igitur (Illustrissime MARI, primum hunc, qualiscunque est nostri ingenij fructum, amplissimo tuo nomini dicatum: quẽ si eo gustu, quo libenti animo datur, acceperis, nec

iniu-

iniucundum fore, nec insuauem confido. Quòd si gratum Amplitudini tuæ fuisse illum sensero, sic planè meum accendetur ingenium, vt indè longè vberiores fructus, nec magnanimitate tua indignos id polliceri possim, fore, deinceps allaturum. Vale.

LECTO-

LECTORI STVDIOSO.



VSCEPI (Lector optime) laborē hunc, colligendi ſeriem, quin & res geſtas, quantum licuit, Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, qui præclariſſimę Salernitanæ Eccleſiæ præfuerunt, eo primùm conſilio, vt quacunq; via poſſem, illius dignitati & Amplitudini conſulerem: Tùm deindè, vt poſſet quilibet antiquitatis, & rerũ Eccleſiaſticarum ſtudioſus, illorum collectionem in promptu habere. Poſtremò, quia contextus hic Præſulum particulariũ Eccleſiarum, qui ſummo Pontifici, B. Petri ſucceſſori, & Chriſti Vicario, tanquam membra Capiti adhærentes, Romanę Eccleſię, omnium aliarum parentis, & magiſtrę, communionem conſtantiſſimè retinuerunt, mirificè confert, ad confundendam hæreticorum impudentiam, qui tantoperè nituntur Diaboli Ciuitatem ædificare, & Eccleſiæ nomen arrogantiſſimè ſibi vendicare; cuius illi Epiſcopos, neq; oſtenderunt vnquam, neq; oſtendere poterunt. Sicut contra, Dei Ciuitatem perpetua, ſanctiſſimaq; Epiſcoporum ſucceſſione conſtitutam, nos Catholici vbique oſtendimus, & exhibemus. Porrò in ea re, ſecuti ſumus exẽplum eruditiſſimi viri Antonij Demòcharis in libris de ſacrificio Miſſæ; ac multò etiam magis doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum Epiſcoporum, & Cardinalium Caroli Borromei, Gabrielis Palæoti, & Auguſtini Valerij, qui hoc ipſum in Mediolanẽſi, Bononienſi, & Veronenſi Eccleſia pręſtiterunt. Nec Illuſtriſſimum Dominum meum, D. Ludouicum de Torres Archiepiſcopum Montis Regalis ſilentio prætermittam, qui cùm multa in ſua Eccleſia, ſanctè, pièq; egerit, id ipſum, accuratiſſimè præſtare voluit. Ad ordinẽ quod attinet, & numerũ priorũ Epiſcoporũ, ſi antiquitas, & præſtantia Salernitanæ Vrbis ſpectanda eſt, cũ

Magi-

Magiſtratus à ſe delectos ſemper habuerit,fueritq; Proconſulũ, ac poſtremis tẽporibus maximorũ Principũ Sedes, ſatis indicatur,Metropolitico iure,in cęteras illã adiacentes regiones fuiſſe vſam,vt ex Liuio, Leone Oſtienſi, Edimberto Longobardo,Romoaldo ſecundo, & alijs Hiſtoricis, abundè conſtat. Id, quod ſuadet mirum in modum, vt exiſtimem à primis ferè naſcentis Eccleſiæ ſæculis, proprios illam habuiſſe Epiſcopos: Decreuerat enim B. Petrus, quod teſtatur S. Clemens, vt in pręcipuis quibuſq; Ciuitatibus Epiſcopi conſtituerentur. Quod ſi verùm eſt,vt certè arbitramur veri ſimillimum: multo plures fuiſſe in illa Epiſcopos neceſſe eſt,ac multorum nomina,& res geſtas ad nos non perueniſſe. Vtcunq; tamen ſe res habeat, nos omnem adhibuimus diligentiam,vt ex inſcriptionibus,antiquiſq; picturis Atrij,Breuiario Eccleſię, Chronicis Longobardorum, alijs monumentis,& traditione,quoad fieri potuit,locupletiorem tibi Catalogum daremus. Vtinam circa priores Epiſcopos, quos in Sanctorum numero,Eccleſia noſtra ſemper habuit, ac venerata eſt,certiùs aliquid,pręter dicenda,afferre potuiſſemus.Sed in ijs,Tabulas,Breuiarium,Miſſale,& antiquas inſcriptiones Altaris,quod Sanctorum Confeſſorum appellatur, aliaq; monumenta Eccleſię noſtrę,quorum fides certa habetur, quoad illorum ordinem,nõ numerum, ſecuti ſumus. Qua in re, conatum meum ęqui, boniq; conſules, qui,Eccleſiæ huius inſignis memoriam illuſtrare,& ſtudia tua,qualicunq; opera potui, iuuare ſtudui. Vale.



DE ILLVSTRISSIMO CATALOGO PONtificum Salernitanę Ecclesiæ ex Luciani Paræmia Hexasticon.

IOHANNIS FRANCISCI LOMBARDI Neapolitani.

QVID Mirum, si Marsilium, nunc MVSCA, Elephantum
Vincit? sic fortes comprimit eccè DEVS.
Hic ampla, & vigili cura nimis vsq; Salerni
Pastores ornat (pace Columna tua)
Quare vt MARSILIO, debet tibi Gaspar idipsum
Patria; quæ curret læta per ora Virûm.

VINCENTII GAMBACVRTII CILENtiæ Marchionis filij Hexasticon.

ASPICE (Lector, Opus; sunt hic memoranda Salerni
Inclyta Pastorum, nomina, facta, simul.
Non tibi displiceat, doctas has vertere cartas,
Miraque, quæ GASPAR Musca legenda dedit.
Quid facis? eya age tantos hos iam volue labores;
Optimus herclè, Auctor, maxima quæque facit.

PETRI GATTVLA CANONICI SALERnitani Art. & Sacræ Theologiæ Doctoris Carmen Ad libellum.

PRODI tandem, tot lustris, optate libelle,
Quid iam? quidnè moræ nunc tua fata tenent?
Detege Pastorum patrias, cognomina, facta,
Nomina, quot, qua cum relligione forent.
Gratus eris cunctis: te amplexus quisq; merenti
Oscula sæpè dabit, terq;, quaterq; lege ns.
Ante oculos (non hæc te axilla, uel altera stringet)
Semper eris; lector vertet vbiq; manu.

Correptus somno, noctu. lassusq; labore:
Sic dicet; mecum dulcis Amice ueni.
Ceruical factus puluini, tuncq; quiesces:
O felix lector, somnus & ipse simul.
Zoile quid dicis? garrisnè, accede miselle.
Viuida, nunc uiui, heu garrula lingua perit.

CANDIDO LECTORI, DONATI LAVrerij Carmen.

NOSCERE si cupis, antiqui monumenta Salerni,
GASPARIS argutum perlege (lector) opus.
Hic Apis una uelut studiosa, è marmore, flores
Legit, & ad Patriam, munera grata, refert.
Vrbis Pastorum celebris monumenta silebant
Tantorumq; etiam, nomina tanta uirûm.
Musca, Decus Patriæ, canitur quæ Dædala tellus,
Reddidit Illustres, sub breuitate, tuus.

CARMEN MICHAELIS ANGELI GRANdatij Salernitani, Ad D. GASP. Muscam Decretorum Doctorem, & Canonicum Salernitanum.

EN doctus tumulis obstrictas excitat vmbras
Pontificum GASPAR, dum sacra gesta canit.
Quorum prima fuit vastum nam fama per Orbem
Nobilium tristi morte sepulta virûm.
Ceu radijs Titan Cœlum fulgentibus ambit,
Et toto tenebras æthere luce fugat,
Sic tua doctrinę nitidis lustrata SALERNI
Immensi radijs, luminis ora micat.
Pastorum fulcit sublimi nomine laudes,
Mandat & æternis nomina sacra Libris.
Macte animi pietate, vices tibi grata rependent
Sæcla, decus tollent, GASPAR, in astra tuum.
Quandoquidem, doctis reparas, monumenta libellis,
Cum possint longam Saxa timere diem.
Hi pro te reddent, Summo, pia vota, Tonanti,
Præbeat, vt felix, quo pede, tendis, iter.

DE EPISCOPIS ET ARCHIEP. SALERNITANAE ECCLESIAE CATALOGVS.

GASPARE MVSCA PRÆSBYtero Salernitano Auctore.





SANCTVS BONOSIVS Ecclesiæ Salernitanæ Episcopus, de quo in Martyrologio Romano, & in Vita Beati Gramatij Salernitani Episcopi eius successoris, fit mentio, vt habetur in Breuiario Salernitanæ Ecclesię, vbi & hęc de illo legitur, Oratio.

Deuotum tibi populum (benignissime Deus) clementer exaudi, vt qui pio affectu venerandam B. Bonosij confessoris tui, atq; Pontificis recolit solemnitatem, eius meritis apud te peccatorũ obtineat remissionem. Per. &c. Eiusdem meminit Vir pietate & religione præstãtissimus Cæsar Baronnius in notis ad Martyrologium prædictum xiiij. Kal. Nouembris.

SANCTVS GRAMATIVS Salerni Episcopus, nobilibus parentibus,sed ob Christianę pietatis cultum longè nobilioribus, genitus, Diuinæ Maiestatis venerationi mirabiliter à pueritia deditus,cum disciplinarum studio, morum ac vitæ integritatem coniungens, grãdior factus, vt Christum Dominum, paupertatis auctorem, toto sectaretur animo, suas pauperibus facultates distribuit. Mox cum Sanctus vir Bonosius Salernitanæ Vrbis Episcopus ex hac peregrinatione ad cœlestem Patriam euolasset, quamuis inuitus, incredibili omniũ consensu Episcopus creatur. In cuius honoris fastigium euectus, eandem tamen pauperum solicitudinem semper habuit, eadem in corde humilitas,eadem in vultu grauitas erat. Assiduis populum concionibus ad humanarum rerum contemptionem, & æternæ beatitudinis desiderium, vehementer excitans, orationibus, vigilijs, ac ieiunijs, ita carnem spiritus imperio subijciebat, vt terrenis negotijs solutus, mente celestibus inhæreret. Morti tandem proximus, superlectilia domus egenis ac pauperibus suis ipse manibus elargitus, accitos præsbiteros & clericos, veluti filios de sua ad Dominum transmigratione commonet,ad benè, Christianeq; viuẽdum cohortatur,& simul Salernitanam Ecclesiam (quod ad gloriosi corpus Apostoli & Euangelistæ Matthæi pertinuit)haud multo post tempore cœlesti fore Thesauro insignem prænunciat,erectisq; in cœlum oculis v. Idus Octobris, qui dies quotannis in Ecclesia Salernitana, ad eius honorem festus agitur, obdormiuit in Domino. Eiusq; sanctitatem quàm plurimis postea miraculis, qui est mirabilis in Sanctis suis Deus illustrauit, per quem cœcis videndi, & surdis audiendi, & mutis loquendi, & claudis ambulandi facultatem restituit. Leprosos mundauit, ac paralyticos etiam

curauit,

curauit, & ab immundis ſpiritibus oppreſſos liberauit. Hæc ex eodem Breuiario, vbi & huiuſmodi habetur, Oratio.

Deus qui hodiernam diem ſacratiſſimam nobis B. Gramatij Confeſſoris tui atque Pontificis ſolennitate tribuiſti, adeſto propitius Eccleſiæ tuæ pręcibus, vt cuius gloriatur meritis, muniatur ſuffragijs. Per &c. Martyrologium & Baronius item de illo meminit loco citato.

SANCTVS VERVS Salernitanorum Epiſcopus, de quo, & Oratio extat in ipſo Breuiario, quadringentos ab hinc annos amplius, edito.

Deus qui perennem gloriam ſanctiſsimi Confeſſoris tui Veri atq; Pontificis animæ contuliſti, tribue quæſumus, eius nos apud te patrocinijs ità ſublimari, vt cum eo vitam poſsideamus ęternam. Per &c.

Meminit etiam Baronius in notis ad Martyrologium Romanum x. Kal. Nouembris, quo die Salerni cœlebratur eius Officium.

SANCTVS EVSTERIVS Salernitanus Epiſcopus: de quo idem Breuiarium, & Martyrologium Romanum: cuius natalis dies colitur Salerni, die xjx. Octobris: In ipſo quidem Breuiario de eo orationem habemus ad hunc modum.

Deus qui B. Euſterius Pontifex, ita ſanctitatis gratia decoratus complacuit, vt tuorum conſortium in cœlis promereretur Sanctorum: da Eccleſſiæ tuæ, quæſumus, eius interuẽtu, perpetuam conſequi lætitiam, cuius depoſitionis diẽ gratulando celebrat ſolennem. Per. D.

SAN-

SANCTVS GAVDIOSVS Salernitanus Episcopus, ex prædicto Breuiario, vbi & hanc legimus orationem, Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui hodierna die B. Confessorem tuũ atque Pontificẽ Gaudiosum beatitudinis æternę gloria sublimasti: concede propitius, vt, cuius misterium veneramur in terris, intercessionis eius auxilio, apud misericordiam tuam, muniamur in cœlis. Per.

Porrò corpus eius Salerni requiescit in inferiori crypta eiusdem Salernitanæ Ecclesiæ, non autem Neapoli, vt falsò nonnulli putant. Nam Gaudiosus ille, cuius corpus Neapoli asseruatur, Africanus fuit Episcopus, & ob Vandalorum persecutionem, in Campaniam venit, & in monasterio apud eam vrbem, sancto finè quieuit, & eius mors in conspectu Domini præciosa, celebratur à Romana Ecclesia v. Kal. Nouembris. Quomodo verò fuerit gloriosum eius corpus, Neapolim translatum, nescimus, sed dicant ij, qui nostræ aduersantur veritati. Gaudiosus verò noster, Salerni Episcopatũ gessit, vitamq; ibidem cum degisset, in Domino mortuus est. Et hæc ne finxisse videamur, non obscuro doctissimi Viri Cæsaris Baronij in notis ad Romanum Martyrologium, in mense Octobris, testimonio comprobantur. Sancto huic Episcopo Anniuersarium præstatur Officiũ Die xxvj. Octobris.

SANCTVS VALENTINIANVS Episcopus Salerni. Ex supradicto Breuiario, vbi hisce contexta verbis reperitur, Oratio.

Adiuua nos quęsumus Domine, deprecatione S. Valentiniani

niani Confessoris tui atque Pontificis, & pręsta, vt cuius hodie solennitatis diem cum lætitia spirituali veneramur in terris, eius auxilium sentiamus in cœlis. Per.

De quo etiam Cæsar Baronius, cuius festus dies agitur Salerni, tertia Nouembris.

Quorum omnium Sanctorum sex Episcoporum, corpora in Maiori Salernitana Ecclesia, ad præsens sub vocabulo B. Apostoli, & Euangelistę Matthæi, in inferiori basilica ad Altare sanctorum Confessorum, quod spectat ad occidentem, honorificè cũ sacris alijs Sãctorum Reliquijs, recondita sunt.

Anno Christi. 500.

GAVDENTIVS Symmacho Summo Pontifice, & Anastasio Imperatore Anno Domini 500. Salernitanæ Ecclesiæ præfuit. His temporibus cùm Laurentius pręsbiter contra Symmachum in Sedem Apostolicam fuisset intrusus, multaq; mala Steodorici Gotthorum Regis auctoritate, nixi Schismatici in Catholicos inferrent, Symmachus vt his malis remedium afferret, Synodum. C. V. Episcoporum Romę coegit, in qua damnatis schismaticis, aliquæ leges ad schismata futura tollenda de Romanì Pontificis electione latæ sunt, cui Synodo Gaudentius interfuit, & subscripsit, vt ex prima synodo sub symmacho habita, constat.

Anno Christi. 534.

ASTERIVS Agapito Summo Pontifice, & Iustiniano Imperatore floruit, circa Annũ Domini 534. Quo tempore Agapitus Pontifex Anthimum Constantinopolita

num

num Episcopum hæreticum Eutychianæ impietatis sectatorem deposuit, in eiusque locum Mennam substituit. Qua de causa Constantinopoli Synodus habita est, in qua Anthimus Petrus, Seuerus & alij hæretici damnati sunt; huic Synodo Asterius Salernitanus Episcopus vt legatus Sedis Apostolicę vnà cum Sabino Canusij, Epiphanio Esculanorum, Leone Nolanorum, Rustico Fesulanorum Episcopis, & Theophane atq; Pelagio Romanæ Ecclesiæ diaconis, præfuit, vt ex eiusdem Concilij actis apparet.

Anno Christi. 652.

LVMINOSVS Martino Summo Pont. & Cōstante Imperatore Salernitanæ Ecclesiæ Episcopatum gessit Anno Domini 652. Eo tempore Monothelitarum hæresis vnam in Christo voluntatem & operationem asseuerantium vigebat, & Constans Imperator huius hæresis impijssimus defensor, multa mala in catholicos perpatrabat. Martinus Summus Pont. ad eā hęresim & Sectatores damnandum C.V. Episcoporum Concilium Romę congregauit. Cui Concilio Luminosus interfuit, & subscripsit, vt ex eiusdem Concilij actis licet videre.

Anno Christi. 680.

IOANNES, Agathone Summo Pont. & Cōstantino. IV. Imperatore Anno 680. Romam ad Conciliū CXXV. Episcoporum accessit, in quo legatos & Sinodicas literas cōtrà Monothelitas ad sextum generale Concilium Summus Pontifex destinauit, ex subscriptionibus Synodi.

ZAC-

ZACCHARIAS Episcopus Salernitanus.

COLVMBVS Episcopus Salernitanus.

LVPVS Episcopus Salernitanus.

RENOVATVS Episcopus Salernitanus.

BENEDICTVS Episcopus Salernitanus.

TALARICVS Episcopus Salernitanus.

ANDERAMVS Episcopus Salernitanus.

Prædictorum verò Episcoporum, quonam tempore, vel quamdiu vixerint, aut mortui sint, quidue fecerint, nullã sanè ob temporum iniuriam, ac bellorum calamitates, præter eorum seriem, extat monumentum.

Anno Christi. 762.

RODOPERTVS Episcopus Salerni, præfuit Cathedrali Ecclesiæ Salernitanę sub vocabulo Sanctæ Marię Angelorum, florente Arichi, ex Longobardorum genere, primo Salernitanorum Principe, Anno Domini 762. Indictione xv. Cui Principi successit Grimoaldus filius, Anno 780. Indictione xiiij. Rodopertus verò multos annos vixit.

Anno Christi. 818.

RODOALTVS Episcopus Salernitanus, eidem præfuit Ecclesiæ. Sicone Principe. Quo tempore Vrbs Canusia capta fuit ab Agarenis. Quod accidit, Anno Christi 818. Ind. xj. tunc etiam Saraceni Siciliam, & mox Apuliam vastarunt, vixit autem Rodoaltus annos sexdecim.

Anno Christi. 834.

PETRVS primus huiusce nominis Episcopus Salerni. Cùm esset Episcopus Canusiæ, inde fugiens Salernum, ibidem mortuo Rodoalto, de quo loquuti modò sumus, Anno 834. Indictione xij. Sicardo Siconis filio Principe, creatus fuit Episcopus, suoq; sumptu Ecclesiam iuxta prædictam Sedem, in honorem B. Ioannis Baptistæ, mira magnitudine construxit, licèt ad culmen vsq; præueniente morte, non potuerit perducere. Ea est hodie in Aedibus Dominorum de Aiello, iuxta maiorem Ecclesiam, & apparent vestigia. Hic verò Petrus fuit Grimoaldo Principi cognatus, annosq; decem in Episcopatu vixit.

Anno Christi. 844.

RACTVLVS Episcopus Salernitanus præfuit Ecclesiæ prædictæ Anno Christi 844. Quibus temporibus Radelchis, & Sighenolfus consanguinei Principatum iure belli occupauerunt, & Ludouico Italiæ Rege arbitro vsi; Sighenol-

ghenulfos Princeps creatus eſt, Radelchiſius Beneuentano Ducatu eſt potitus. Vixitq; Radulus in Epiſcopatu Annos quatuor.

Anno Chriſti. 848.

MAGNALDVS Salernitanus Epiſcopus, ſuſcepit Epiſcopatum Eccleſiæ prædictæ, Anno Chriſti 848. Indictione xij. Sicone ſecundo, & filio Sighenolfi Principibus. Vixitq; bonus Magnaldus Epiſcopus, annos quinque.

Anno Chriſti. 853.

TEVPVS Salerni Epiſcopus infirmorũ viſitator, viduarum, orphanorumq; protector extitit. Prædictæ præfuit Eccleſiç Anno Chriſti 853. Indictione prima, Radelchio Principe, Sighenolfi filio. Geſſit Epiſcopatum Teupus pijſſimus Paſtor Annos quatuordecim.

Anno Chriſti. 867.

ALO Salerni Epiſcopus, vir ſanè præclarus & bonus, Eccleſiæq; reparator. Lectorinum ex gypſo fecit miræ pulchritudinis in Eccleſia Salernitana. Præfuit Anno Chriſti 867. Indictione xj. Adelchio Principe, fratre Radelchij, qui è viuis ſublatus fuerat ſine liberis. Alo autem per quinquennium optimè cùm rexiſſet Epiſcopatum, vitam cum morte commutauit.

Anno Christi. 872.

LANDEMARIVS Episcopus Salerni, fuit ex finibus Nuceriæ, nobilibus ortus parentibus. Præfuit Anno Domini 872. sub Ademario quodam ex Longobardis nobilissimo; qui cum cœpisset arma aduersus Adelchium Principem, eundem à Principatu eiecit. Et Dauferius quidam, eo ex hac luce sublato, &proximioribus consanguineis paucis mensibus, occupatum Principatum moderatus est, filioq; suo Guayferio, in omni laudis genere excellenti, nec tam bellicis rebus, quàm religione illustri, Principatum reliquit. Hic viginti annis præfuit, ac sese in Casini ædes sacras, sepeliendum, monastica veste indutum, dùm in humanis agebat testamento cauit. AEdificauit etiam Ecclesiam Sancti Maximi, vt in tabulis sacri Monasterij Cauensis conspicitur testimonium his verbis, In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, regnante Domino Ludouico Imperatore Augusto, Anno, Deo propitio xx. mensis Nouembris secunda Indictione. EGO GVAYFERIVS diuina gratia Princeps, filius quondam Dauferij Principis, diuino auxilio me adiuuante, intus hanc Salernitanã ciuitatẽ à super ipsa fistula propinqua casa mea, à fundamine vsq; ad culmen Ecclesiam Dei ædificaui, in honorem, & vocabulum B. Sancti Maximi &c.

Ex Guayferio Guaymarius ortus est, qui Principatus iura sumpsit Anno Domini 880. Indictione xiij. natus quidem ex Laudelaica Principissa vxore. Is vero sumpit vxorẽ, Gailtelgriam, Guidonis Beneuentani Ducis filiam, suscepitq; filiũ Gisulphum, & Guaymarium Anno 894. Indictione xij. Vixit in Episcopatu Landemarius annos triginta septem.

Anno

Anno Christi. 909.

BERNARDVS primus Salerni Episcopus, ex ciuitate Latiniana ortus: Præfuit Anno Christi 909. sub Gisulfo huius nominis primo Principe, parentibus quidem ortus non infimis. fecit in sua sede campanile miræ pulchritudinis, & Ecclesiam Sancti Ioannis Baptistæ, quam Petrus Episcopus fundauerat, denuò à fundamentis construxit. fuit natura mitissimus, Ecclesiæq; reparator. Aliā sub nomine Saluatoris Ecclesiam ædificauit, eandemq; confessori Felici dicauit, & ipsius Ecclesiæ altare nonnullis sacris corporibus ditauit. Anno verò 940. imminente Agarenorum incursione, metuens ne proprijs fraudaretur patronis, Sāctis quippe Martyribus, FORTVNATO, CAIO, & ANTHE; sacra eorum corpora, ex propria Ecclesia, vbi per longa temporum spatia requieuerant, iuxtà flumen qui Lirnus appellatur, idē egregius præsul ad Ecclesiam iam dicti Sancti Ioannis intrà mœnia ciuitatis, debito cum honore deportauit, & ea ibidem perhonorificè collocauit, extructo in honorem ipsorum Sanctorum Martyrum, FORTVNATI, CAII, & ANTHAE, beatorumq; omnium Apostolorum, Altari. Idem cum multitudine Clericorum, necnon Laicorum, non procul à dicta iam ciuitate, ad locum qui Faianum dicitur, in finibus Salernitanis, venit; & magna cum reuerentia, pijsq; orationibus Beatorum confessorum, pariterq; Pontificum corpora, quæ diù illic requieuerant, Cyrini, & Quingesij, Syndone munda inuoluta, cum sacris misterijs ab ipso dicto iam Episcopo, Clero & Populo, magna cum exultatione, cum cereis & lampadibus, piè sequentibus, Salernum translata sunt; & in Ecclesia, quam in eorum honorem construxerat, decenter locauit: sed

ea

cta Ecclesia, quæ, & vbi fuerit, ignoratur. Nũc enim in inferiori crypta maioris Ecclesiæ Salernitanæ, ad altare Sanctorum confessorum, occidentem versus, recondita inueniuntur. Passi autem fuerant gloriosi Martyres carcerem, & varia tormenta, sub proconsule Emaglieniano, in ciuitate Buzocense, sub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano. Quod fuit circiter annum à partu Virginis 282. Die decimaquinta Maij. Qua die eorum translationis Officium in Ecclesia prædicta celebratur. Leontius verò supradictus proconsul ad templum Priapo dicatum, quod iuxta Vrbem Salerni constructũ erat (quod hodiè sub vocabulo sancti Fortunati nuncupatur, capite plecti iussit, ibique auibus, bestijsq; deuorandis reliquit. Exinde tandem, vt dictũ est, eorum corpora asportata, in inferiori basilica dictæ maioris Ecclesiæ, ad Altare Crucifixi, meridiem versus, requiescunt. Festum verò eorũ præciosæ mortis, colitur die xxviij. Augusti. Eodem quoq; tẽpore, ex Lipari insula, Beneuentum corpus Apostoli Barthololomei translatum fuit, sub Sicardo quinto Principe Beneuenti, & tempore Sergij Pontificis maximi, quo Saraceni vastarunt Italiam, & facta diuisio fuit, inter Principatum Beneuẽti, & Salerni. Vixit autem Bernardus bonus Episcopus Annos triginta duos.

Anno Christi. 942.

RACHENALDVS Episcopus Salerni à Principe Gisulfo, & popolo electus fuit Anno 942. sanctissimę quidem vitę, adeo vt Dominus noster Iesus Christus pluries illi in somnis apparuerit. Circa verò hæc tempora floruit Beatus Alferius Salernitanus, primus Abbas sacri Cœnobij Cauensis

uensis, & institutor. qui cum sanctè centum,& viginti annos vixisset, mortuus ẽ in Domino,in die cœnæ eiusdem, expletis per semetipsum sacri illius diei diuinis Officijs; & in eodẽ sacro monasterio sub nomine sanctissimę Trinitatis clarus miraculis, sepultus requiescit. Vixit autem Rachenaldus Episcopus annos quinque.

Anno Christi. 947.

PETRVS secundus, Episcopus Salernitanus, pręfuit Ecclesiæ pręcitæ Anno 947. cognatus Ademarij Principis. Vixit sanctè, vitamq; sanctè clausit; cum per trienniũ suam Ecclesiam gubernasset, ea,qua decet, pastorali vigilãtia, sub Gisulfo Principe, & Guaimario fratre.

Anno Christi. 950.

PETRVS tertius, Episcopus, ex ciuitate Acerni orundus, & medicus excellens, pręfuit sub Gisulfo prædicto Principe, Anno salutis nostræ 950. Mortuus quarto sui Episcopatus Anno.

Anno Christi. 954.

BERNARDVS secundus Episcopus Salernitanus, vir Sanè magnæ felicitatis, cum ipso præside, ac Gisulfo Principe translatum fuerit corpus B. Apostoli & Euangelistæ Matthæi ex Pæstana ciuitate Salernum, in maiorem Ecclesiam

clesiam sub vocabulo Sanctæ MARIAE, Anno Domini 954. die vj. Maij, sub Agapito secundo Pont. maximo. Cuius translationis memoriam quolibet anno die prædicta, Ecclesia Salernitana per octo dies, cum hymnis, rosis & floribus solenniter veneratur, magna cum hominum frequentia, ac pietate; ex quo sacratissimo corpore preciosus & sanctus liquor, Manna vulgò dictus, effluit, ad mala omnia Antidotus præsentissima, quemadmodum plurium sæculorum experientia docuit: nec studiosus veritatis lector miretur, nos dixisse prędictam translationem sub Agapito secundo factam, cùm Breuiarium Romanum, & Cæsar Baronius vir Illustris in Martyrologio Romano die vj. Maij fol. 202. sub Gregorio VII. factam asserant: nam illam diximus fuisse ex Pæstana ciuitate Salernum, hanc verò dicimus ex dicta maiori Ecclesia ad nouum templum, ęre Ducis ROBERTI GVISCARDI, tunc Principis Salerni ędificatū, & Beato Apostolo, & Euāgelistę Matthæo dicatum; in quod veluti per nouam translationem, Gregorij septimi tempore, fuit asportatum, & in inferiori ipsius templi Basilica collocatum. Reddidit autē Christo animam Bernardus, Anno post Beati Apostoli corporis translationem, quarto, peste confectus Anno scilicet 958.

Anno Christi. 958.


PETRVS quartus Episcopus Salernitanus pręfuit anno Domini 958. sub Gisulfo & Ioanne eius filio, cuius vxor appellabatur Sighelgaida, & construxerant Ecclesiam Sanctę Marię de donno, siuè de dominabus; quæ hodie est parochialis intra ciuitatem Salerni. Ex Ioanne natus est Guaimarius, qui & Senior & balbus appellatus est, & principatum tenuit vsque ad annum 1052. Ex collachrymabili secu-


li seculo Petrus ad cœlestē patriam abijt, vndecimo sui Episcopatus Anno.

Anno Christi. 969.

IOANNES postremus Episcopus Salernitanus, præfuit Ecclesiæ prędictę anno salutis 969. sub quadragesimo quinto anno Principatus Gisulfi, & anno quarto Gēmæ vxoris, vt ex bulla dicti Ioannis, quæ in sacro Monasterio Cauēsi asseruatur. Hic suasu eiusdem principis liberam fecit Ecclesiam Sancti Nicolai ad palmam, quod ex literis super hoc editis, atq; in dicto monasterio reconditis, apertè perspicitur. Vixit autem in Episcopatu Ioannes annos quinque.

Quorum omnium supradictorum Episcoporum, præter illa, quæ dicta sunt à nobis ex chronicis, depictæ conspiciuntur imagines cum nominibus & numeris in Atrio Ecclesiæ Salernitanæ, quamuis earum aliquæ, temporum vetustate, & instaurandi operis cōcamerati necessitate, sint ex parte deletæ, siue corrosæ.





Anno Christi. 974.

AMATVS, primus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit Anno Dñi 974. Illum autē fuisse cōstat Archiepiscopum, tùm ex Bonifacij septimi priuilegio, qui Anno Christi 974. Salernúm Archiepiscopatu nobilitauit, tùm ex Bulla, qua Ioannes XV. ad Grimoaldum Archiepiscopum Salernitanum anno 985. Eiusdem Amati mentionem facit. Ioannes Principis insignibus ornabatur, eiusq; ēt opera Salernitanæ Ecclesiæ prędictæ Archiepiscopatus iura delata fuerunt, itaq; in eiusdem gratiam Ecclesia Sanctę Mariæ de Donno, quam ipse construendam curauit ab omni Archiepiscopi iure liberauit. Extant literę in sacro Monasterio Cauensi: quarum principium: En ego Amatus Domini gratia Archiepiscopus sanctæ Sedis Salernitanæ, clarè facio &c. Vixit Amatus annos sex.

Anno

Anno Christi. 980.

DAVFERIVS, secundus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit Anno Domini 980. Ex Ioannis XVI. Bulla. Ioannes Princeps Salerni florebat. Quo etiam tempore Cœnobium Sancti Benedicti in vrbe Salerno fuit à Saracenis vastatum, & anno 984. Ab Angelario venerabili Abbate cœptum est refici. Ab hac, quę vocatur vita, discessit Dauferius, anno quinto sui Archiepiscopatus.

Anno Christi. 985.

GRIMOALDVS, tertius Archiepiscopus Salernitanus, præfuit Anno Domini 985. Ex Bulla Ioannis, vixit vsq; ad annum 1006. Sub Ioanne Principe, à quo & vxore eius Sighelgaida denuò constructum est tepl. in Virginis Matris, quod de Dominabus dicitur, Salerni propè mœnia, sexto videlicet anno Principatus eiusdem, & primo Guaymarij filij.

Anno Christi. 1007.

MICHAEL, quartus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit Anno Christi 1007. Ex bulla Sergij Quarti, sub Guaymario Ioannis filio, cognomento, Balbo. Vixit in suo Archiepiscopatu Annos nouem.

Anno Christi. 1016.

BENEDICTVS primus, & quintus Archiepiscopus Salernitanus, prefuit anno 1016. Ex Bulla Benedicti septimi; fuit adiutor pauperum, vixitq; sub Guaymario prædicto, annos viginti duos. Ipso Benedicto Archiepiscopo Salerni, anno 1019. Calistus secundus Ioannem Dauferium Salernitanum, Cardinalem, titulo Sancti Nicolai in carcere Tulliano, insignem creauit.

Anno Christi. 1038.

AMATVS secundus, & sextus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit Anno Domini 1038. Ex bulla Benedicti octaui, sub prædicto Guaymario Principe, vixitq; annos tres in sua Sede.

Anno Christi. 1041.

AMATVS tertius, septimus Archiepiscopus Salernitanus præfuit Ecclesiæ prædictæ, anno 1041. Ex Bulla Benedicti Octaui. Vixit in Archiepiscopatu annos sex, sub Guaymario Principe.

Anno Christi. 1647.

IOANNES primus, & octauus Archiepiscopus Salernitanus; erat Pestanus Episcopus, & ad Cleri & Principis Guaymarij electionem factus est Salernitanus Archiepiscopus,

ſcopus, anno 1047. Ex Bulla Clementis ſecundi, & Leonis noni; in qua fit præclara mentio de Sanctitate, bonitate, caſtitate, & benignitate eius: ſub Guaymario, qui tenuit Principatum vſq; ad annum 1052. Habuitq; filios tres, nempè Guaymarium iuniorem, Giſulfum, & Guidonem. Hic adeptus eſt Ducatum Amalphiæ, & Surrenti; Vnde inſigniri ſolebat, Dux Amalphiç, & Surrenti. Ex Guaymario iuniore anno 1053. genitus eſt alter Giſulfus, & Pandolfus; atque hic Guaymarius ad litus maris, coniuratione Amalphitanorum, & Aulicorum ſuorum cęſus eſt. Itaq; Principatus delatus eſt Giſulfo filio, ex quo ortum duxerunt Pandolfus, & alter Guaymarius, licèt in Giſulfo Longobardorum ſeries deſierit, eo à Roberto Guiſcardo expulſo, vt inferius dicetur. Ioannes ab huius vitæ miſerijs ad æternæ, beateq; vitæ (vocante Domino) gaudia migrauit, anno decimo ſui Præſulatus.

Anno Chriſti. 1057.

ALPHANVS primus, & nonus Salernitanus Archiepiſcopus, fuit Monachus Cauenſis, ſub diſciplina B. Leonis patritij Lucenſis, & ſecundi Abbatis prædicti ſacri Monaſterij. Præfuit anno 1057. Ex bullis Stephani decimi, dicti Noni, & Alexandri ſecundi: Giſulfo immaniſſimo Principe, quo tempore cœperunt florere Normanni. Huic à Stephano decimo, quibus diebus, vti pallio debeat ad miſſarum ſolennia celebranda, præſcribitur; facultaſq; nominandi, eligendi, & conſecrandi vndecim Epiſcopos ſuos ſuffraganeos; videlicet, Pęſtanum, Compſanum, Acherontinum, Nolanum, Coſentinum, Biſinianenſem, Melphitanum, Policaſtrenſem, Marſicanum, & Caſſanum, ijſdem literis conceditur.

tur. Alexander verò secundus cũ esset Capuæ anno 1068, Salernitanæ Ecclesiæ priuilegia vetera confirmauit, & anno sequenti ad res Campaniæ visendas, more instituto profectus Salernum accessit, ac Conuentum Episcoporum Abbatũq; egit, cui Gisulfus Princeps Salernitanus & Robertus Dux, & Rogerius comes frater eius interfuerunt: ibi Gulielmus Tancredi filius, quę possidebat Ecclesiæ bona reddidit, eaq; Alexander, Alphano Archiepiscopo adiudicauit. Quæ et quanta fuerint, legenda sunt Priuilegia Gisulfi, Roberti, Rogerij, & successorum Principum, & Regum, in Archiuio Archiepiscopalis mensæ asseruata. Et vtinam eorum saltem medietatem Ecclesia ipsa hodie possideret. Quo præside, Robertus Dux Apuliæ, rebus in Sicilia prospere gestis elatus, exercitum Salernum adduxit, idq; Riccardo fratre Capuæ Principe auxilio aduocato, acriter oppugnare incepit. Qua re cognita, Gregorius Septimus Desiderium Abbatem Casinatem ad rem inter Gisulfum Salerni Principem, & Robertum comparandam misit; quæ intempestiua Gisulfi pertinacia, cõuenire non potuit. Qua re comperta, Robertus cum maxima militum manu ad muros successit, parteq; eorum ui machinarum disiectâ, aditum sibi in vrbem muniuit, atq; idibus Decembris, frustra repugnante Principe, in ditionem adduxit. Et concesso Comitatu Corniti Pandolfo, et Comitatu Caput Aquensi Guaymario, suo ære ædificandum curauit miræ pulchritudinis ac magnitudinis templũ, supradicto beatissimo Apostolo & Euangelistæ Mattheo, anno 1076. Anno vero 1080. Post Aduentum Michaelis, Constantini Imperatoris filij, in ciuitatem Salerni ad Robertum Guiscardum inuisendum, Gregorius prædictus Robertum ipsum absoluit, & Alphano gratulatus est, quòd ossa Matthęi Apostoli, quæ ignorabantur, inuenisset, & in nouum templũ recondidisset; monuitq; vt hortaretur Robertum Ducem, & coniugem ad ea sum-

ea summa reuerentia amplectenda; vt ex Bulla data Romæ 14. Kal. Octobris, Anno sui Pontificatus septimo. Quem ex Vrbe eduxit Robertus, & Cassinum ad Abbatem Desiderium primùm, deinde Cassino Salernum perduxit. In quo, mense Maio viij. Kal. Iunias, expirauit. Cardinales verò & Episcopi inibi existentes, elegerunt in Pontificem Desiderium Abbatem Cassini, qui confirmatus anno sequenti, vocatus est Victor tertius. Qui moriens anno 1088. Terracinæ electus est in Summum Pontificem, Vrbanus secundus. Quo etiam tempore fuit ædificatum monasterium Sancti Nicolai subtus aquam, quod dicitur dela palma, à B. Leone secundo, sacri monasterij Cauensis Abbate, & Lucio Vicecomite. Quam ciuitatem claritas Apostolicę memoriæ prædicti Gregorij Papæ septimi, tam exilio, quàm tumulo illustrauit, supradicti Guiscardi opera. Qui quidem Gregorius dum Salerni degebat, elegit sibi ad Altaris ministerium viginti quatuor Canonicos, quos & Præsbiteros Cardinales nuncupauit, quatuorq; Diaconos, quos similiter Diaconos Cardinales vocauit, vt ex nostrorum traditione accepimus. Quibus per successores Pontifices fuit in posterum concessa facultas gestandi Mitras sericas, quas vocant de damasco; vt in Bulla confirmationis Lucij tertij anno 1183. In qua hæc formalia verba leguntur. Addimus præterea, vt sacerdotes, Primicerij, & Diaconi Ecclesiæ Salernitanæ Mitras secundũ veterem ipsius Ecclesiæ consuetudinem, & iuxta quod eis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus est indultum, audeant statutis terminis deportare, asseruatæ in communi Archiepiscopalis, & capitularis mensæ Archiuio. Talibus porrò nominibus & mitris vsq; ad hodiernam diem prędicti domini de Capitulo in sua Ecclesia Metropolitana, simul cũ dominis Archidiacono, Cantore, & Primicerio dignitatibus in diuinis celebrandis vtuntur. Cuius Gregorij corpus, post

quin-

quingentos circiter annos, sacris amictum vestimentis, ac ferè integrum in Ecclesia prædicta marmoreo in tumulo recõditum, opera amplissimi Archiepiscopi Marsilij vidimus, ac manibus contrectauimus, anno 1578. obierat anno 1086. Sed ad Alphanum redeuntes, dicimus illum ornasse tres partes Apsidis, vulgò tribunæ, Ecclesię prædictæ, opere elegantissimo, Musæo dicto, ac Homiliam in Euangelium, quod legitur in Festo B. Matthæi, eleganter composuisse: obijsse autem post vigesimum nonum annum sui præsulatus. Dux verò Robertus, post multos triũphos, & partas victorias mortuus est in Casopoli insula in Græcia, ætatis anno LXXij. Anno Christi 1079. Corpus eius asportatum fuit in Venusiam vrbem Apulię, & in Maiori Ecclesia in tumulo honorificentissimo reconditum, fuit ei à Normandis impositum cognomen, Guiscardo, quod apud nos sonat, callidus, & ingenuus homo. Leo vero secundus Abbas sacri monasterij Cauensis, vt prædiximus, fuit discipulus Beati Alpherij Salernitani, qui cum triginta annos sanctè dictum Cœnobium rexisset, obdormiuit in Domino, & propè Alpherij sepulchrum, miraculis coruscans requiescit. Cui successit Petrus tertius Abbas, ex carne nepos B. Alpherij, genere Salernitanus, qui prius à Gisulfo Principe, Clero & populo in Policastrensi Ecclesia in Episcopum electus, exterioris vitæ strepitum nõ ferens, ad monasticam vitam redijt. Mirandum verò ædificium, quod ad præsens cernitur, dicti sacri Cœnobij, ipse construendum curauit, & vix annum integrum illud rexerat, cum, consumato huius laboriosæ vitę cursu, ad gaudia ęterna migrauit: successit ei, & alter Beatus, Constabilis dictus, quartus Abbas, qui viuens & moriens, vt sui prædecessores, miraculis innumeris orbem illustrauit. Sepultus cum supradictis patribus ibidem requiescit. Hæc latiùs in tabulis prædicti sacri monasterij, reperies, ingeniose lector, nos verò breuitati studentes.

tes, quæ legisti, excerpsimus.

Anno Christi 1086.

ALPHANVS secundus, decimus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit anno 1086. ex Bulla Paschalis secundi, anno vero 1093. Vrbanus secūdus Salernum progressus, quærente Alphano prædicto, Robertum bona suæ sibi Ecclesiæ vindicasse, Rogerium filium, se Longobardorum exemplo tuentem, se restituere, iussit. Huic scripsit Vrbanus prædictus anno 1099. dicens, quòd Salerni ciuitas sibi nonnunquam requies fuisset, ac portus; fecitq; eum cum successoribus primatem, super Compsanā & Acherontinam Ecclesias, earumq; suffraganeos, vt ex Bulla data Salerni xiij. Kal. Augusti indictione vj. Vixitq; in Archiepiscopatu annos triginta septem, & ab hac vita migrauit, Anno Christi 1122. Rogerio Rege. Anno vero 1092. nonis Septembris Indictione xv. Vrbanus prædictus dedicauit Ecclesiam sanctissimæ Trinitatis sacri monasterij Cauensis.

Anno Christi. 1123.

ROMOALDVS primus Guarna patritius Salernitanus, vndecimus Archiepiscopus: fecit pauimentum vermiculatum, ex porphyreticis, varijsq; nobilibus lapidibus, admirandum, in titulo supradictæ Ecclesiæ; vt ex inscriptione nominis eius ante altare maius, literis porphyreticis conscripto, est videre. Præfuit anno 1123. obijt verò anno 1137. cùm vixisset annos quatuordecim Præsul, vigesimo primo Ianuarij in die festo Sanctæ Agnetis ex eius nobilissimo marmoreo tumulo in Ecclesia maiori.

Anno Christi. 1137.

GVGLIELMVS de Rauenna electus Archiepiscopus Capuæ, suasu Rogerij Regis, creatus est duodecimus Salernitanus Archiepiscopus: claris parentibus ortus, Pastor vigilantissimus, & qui ardenti tenebatur desiderio honoris Dei, ouiumq; salutis. Præfuit Anno Christi 1137. ornauit altare maius, ac denuo erexit, ornauitq; similiter, vti ornatum pauimentum erat. Id quod in tergo Altaris insculpti versus, ostendunt. Nec non totum titulum Ecclesię, in qua Campanile maximę magnitudinis, & altitudinis ædificandū curauit, Rogerio Rege. Duo etiam candelabra ænea spectandæ magnitudinis, ante altare maius prędictum superioris Basilicæ, ex vtroq; latere statuit. Rogerius verò fuit ab Anacleto secundo Antipapa coronatus Beneuenti, & primus extitit, qui Regis nomen vtriusq; Sicilię, citrà, & vltrà Pharum obtineret, anno 1131. xxv. mensis Iulij. Anno verò 1144. fuit à Lucio secundo Pontifice Maximo, in vtroq; Regno legitimè confirmatus. Mortuus est ætatis anno 59. Anno Domini 1149. sepultusq; Panormi in maiori Ecclesia: vsus est in priuilegijs, publicisq; scripturis hoc titulo. Rogerius Dei gratia Siciliæ Rex, Christianorum adiutor, & Clypeus, Rogerij primi Comitis hæres, & filius. In sigillo, quo vtebatur, hæc verba leguntur. Exaltauit me Deus in virtute brachij sui. In ense eius, hoc erat carmen insculptum: Appulus, & Calaber, Siculus mihi seruit, & Afer. Gulielmus optimus Pastor ex militantium laboribus fuit à Domino vocatus ad triumphantium gloriam, anno 1152. Indictione xv.

Anno

Anno Christi. 1153.

NICOLAVS primus de Ayello patritius Salernitanus, fr. Dñi Riccardi Illustris Comitis de Ayello tertiusdecimus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit anno 1153. Quo Præsule Comes Riccardus prædictus, donauit Capitulo Salernitano macella, & macellariorum rationes, vulgò dictas, lo scannagio, vt ex instrumento donationis, quod in Salernitanæ Ecclesiæ Archiuio asseruatur, clarè perspicitur: sub Gulielmo Rege, cui cognomē Malo, & Principe Salerni pessimæ, dirçq; naturæ, qui mortuus ętatis anno 47. Anno Christi 1167. sepultus est cum patribus suis, Panormi.

Anno Christi. 1166.

ROMOALDVS secundus Guarna, patritius Salernitanus, & quartus decimus Archiepiscopus, præfuit anno 1166. Anno verò sui Archiepiscopatus secundo, quod fuit Anno Domini 1167. Mense Augusto, xv. Indictione, Gulielmus Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, vnà cũ Regina Margarita matre donauit Ecclesiæ Salernitanę, ad petitionē prædicti Romoaldi, castrũ, & homines Montis Corbini, in perpetuum possidendum; vt ex priuilegio Bulla aurea munitò. Is Romoaldus in maximo fuit honore apud Alexãdrum tertium, Federicum Imperatorem, Regemq; Gulielmum prædictũ, cognomento Bonum. Ac demum apud omnes: Inter cæteros Regis Consiliarios fuit Romoaldus electus, factusq; tutor vtriusq; Regni Siciliæ, cùm supradictus Rex ætatis anno xj. successisset in Regnis. Nec non in

congressione quadam Venetijs inter ipsum Pontificem Maximũ, & Imperatorem, in qua de inducijs agebatur inter ipsos & Regem Gulielmum, & Lombardos, Romoaldus ipse, qui aderat Regis Gulielmi legatus, obtinuit locũ in sinistra Pontificis, supra Diaconos Cardinales, vt ex eiusdem chronicis, ipsemet de se ipso testimonium perhibet. Immo Alexander ipse, ei & successoribus Archiepiscopis, portandæ Crucis ante se per Ciuitatem, & Parochiam, facultatem concessit. Pauimentum egregiè, & pereleganter uermiculatum, ex porphyreticis, varijsq; lapidibus strauit in Choro dictę Ecclesię. Nec non quadrilaterum lectorinum, ijsdem ex lapidibus cõstruxit, quatuor columnis preciosissimis, porphyreticis mixtis suffultum. Limina verò Chori portæ eodem ex opere facta conspiciuntur ab Illustri viro, ciue Salernitano, Mattheo Vicecãcellario prędicti Regis Gulielmi, anno 1180. Id quod ibidem adscripta verba commonstrant. Romoaldus, vt eò reuertamur, vnde discessimus; Characteribus Longobardis ab ipsis Mundi primordijs, ad sua vsq; tempora, diligenter Chronica perscripsit. Multorum item sanctorum uitas cõscripsit, ac Breuiarium in ordinem, secundum vsum Ecclesię Salernitanę, redegit; cuius (vt fertur) ipsemet fuit Auctor. Quo quidẽ officio vsi sunt Canonici, & Capitulum Ecclesiæ prędictę vsq; ad annum 1587. Quo tempore Archiepiscopus Marsilius, ad ipsius Capituli postulationem, per speciale diploma (vulgò Breue) à Sixto Quinto Pontifice Maximo impetrauit, vt in Salernitana Ecclesia celebraretur Officium ad communem Ecclesię Romanę morem, suo tamen Marsilij & successorum arbitratu, veteres eiusdem Ecclesię Ceremonias ritusq; nec non singularia aliquot sanctorum, quorum ibi corpora conquiescunt, officia reseruare ipsi liceret. Quę diligẽtissimè emendata, typis danda curauit Dominus Archiepiscopus Bologninus vigilantissimus Pastor, anno 1594. nobis

assistentibus. Alexander verò prędictus scripsit Romoaldo Archiepiscopo plures decretales Epistolas: inter quas sunt Cap. At si clerici de Iudicijs. Cap. de cætero, & Cap. in causis Ecclesiasticis de testibus, & attestat. Cap. de quarta decimæ, de præscriptionibus. Cap. clericos, de cohabit. cleric. & mulier. Cap. ad hæc licet, de Præbendis, & dignit. Cap. verum, de conuersat. coniugat. Cap. licet, de sponsa duorum. Cap. primum de cognatione spirit. Cap. cū tu manifestos de vsuris, vt in libro Decretalium & Cap. primū de corpore vitiatis. Nec non Innocentius tertius per Apostolicum Breue præscripsit ei formulam compositionis, super electionibus celebrandis in Regno Siciliæ, inter illius Regni Reges, & sanctam Sedem Apostolicam. Anno verò 1194. Rogerius, Tancredi filius, postquam Irenem, Isaacij Imperatoris filiam duxerat, vita migrauit. Cuius rei dolorem Tancredus adeò acerbè tulit, vt non post multis diebus: & ipse viuendi finem fecit, Gulielmo puero relicto, quem mox Sibilia mater Regem Siciliæ Panormi coronandum curauit, & timēs Henrici aduentum, vnà cum Gulielmo filio, & filiabus atq; Romoaldo Archiepiscopo, & fratribus eius, sese in Castellū benè munitum, recepit; & missis legatis ad Henricum se Regno cessuram, si Gulielmum filium Principem Tarenti relinqueret. Quod cùm promisisset, sequenti anno, Sibiliam cū filio & filiabus, et Archiepiscopo, ac fratribus, iij. Kal. Ianuarij comprehendit. Sibiliam & Archiepiscopum perpetuo carceri destinauit: Gulielmo virilitatem ad spem stirpis adimendam, exemit; & cum eis in Germaniam, se contulit. Pro quorum liberatione, & iurium, bonarumq; Ecclesiæ Salernitanæ conseruatione, Innocentius tertius, anno 1198. scripsit sequentes literas Germaniæ Episcopis, & procuratoribus Ecclesiæ prædictæ, & sunt sequentes.

IN-

Innoc. 3. ep. l. 1. ep. 24

INNOCENTIVS TERTIVS Spiren. Argentin. & Vuarmarien. Episcopis pro deliberaratione Salernitani Archiepiscopi.

QVANTAE præsumptionis & temeritatis existat, in rectores Ecclesiæ manus inijcere violentas, in Euangelio Dominus protestatur, qui se in ministris suis affligi asseruit, & in Apostolorum Principe alibi se prohibuit iterum crucifigi. Hoc etiã pœnæ qualitas manifeste declarat, cum excommunicationis sententia in ipso actu feriat delinquentes, si nõ solum in fratres, & Coepiscopos nostros, sed etiam in minoris ordinis clericos violentiam præsumpserint operari. Ne autem solos violentiæ huius actores aliquorum pręsumptio crederet esse punitos, facientes & consentientes pari pęna plectendos canonica censura condemnat, eos etiam delinquentibus fauere interpretans: qui, cum possint, manifesto facinori, desinunt obuiare. Quod bonæ memoriæ G. Papa prædecessor noster hactenus diligenter attendens auctores, & fautores captionis, & detentionis venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi excommunicationis nunciasset vinculo innodatos, nisi per Imperiales Nũcios sæpe fuisset ei, ac firmiter repromissum, quòd idem Archiepiscopus, sine dilatione qualibet, libertati pristinæ redderetur. Ne autem detentio eius nobis de certo imputetur, si circa liberationem eius inuenti fuerimus negligentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus nobilem virũ Vuciel de Berc, ex parte nostra diligentius moneatis, vt eundem Archiepiscopum à detentionis suæ carcere absolutum ad nos cum ho-

nore remittat, nobilitatem eius gratiarum actionibus prosequentes, quod circa eum spiritum compassionis exhibuit, & quantùm licuit solatium ei humanitatis impendit. Quod si (quod non credimus) ad monitionem vestram, & venerabilis fratris nostri Suttini Episcopi, & dilecti filij Abbatis Sancti Anastasij, quos ad hoc specialiter destinauimus, eum dimittere fortè noluerit, excommunicatum ipsum publicè nuncietis; & si qua forsan ab aliquibus Ecclesijs beneficia possidet, ea ipsi per Censurā Ecclesiasticam auferri mandantes, totam terrā eius immo totā diocœsim, in qua idē Archiepiscopus detinetur, vel ad quam translatus fuerit, detinendus, supponatis sententię interdicti. Nos enim dilectis filijs Capitulo Maguntin. dedimus in mandatis, vt sententiam vestram faciāt inuiolabiliter obseruari: volumus autē nihilominus, & mandamus, vt vniuersis Alemaniæ principibus in remissionē suorum criminum iniungatis, vt sollicitudinis suę studium efficaciter interponant, quod eis mediantibus Archiepiscopus ipse liberè ad nos quātocius reuertatur, significātes eis, quòd si id (quod absit) impletum non fuerit, in totam Alemaniam interdicti cogemus sententiam promulgare. Quod si omnes pręsentibus exequendis interresse non poteritis, ea vnus vestrum nihilominus exequatur, Datum Laterano xij. Kal. Martij 1198. Pontificatus nostri anno Primo.

IN-

INNOCENTIVS TERTIVS Sutrinen. Episcopo, & Abbati Sancti Anastasij pro reconciliatione Philippi Ducis Sueuiæ et deliberatione Archiepiscopi Salernitani.

CVM, ei simus, diuina prouidentia, in Ecclesię Romanę regimine substituti, quia Domino, vt delinquentibus non solum septies, sed & septuagies septies indulgeret, audiuit, & maius gaudium esse nouerimus Angelis Dei super conuersione peccatoris vnius, quàm suprà nonaginta nouem iustos, qui non indigent pœnitentia, Euãgelio protestante, eos qui à se anathematis iugum excutere cupiunt, ut ad Ecclesiasticam redeant vnitatem ex pastoralis officij, ad quod vocati sumus, debito, recipere benigne tenemur, & receptos misericordiæ gremio confouere. Intel leximus siquidem tàm per te, frater Episcope, quàm per alios, quorum relationibus fidem non modicam adhibemus, quòd nobilis vir Philippus Dux Sueuię, qui propter inuasionem, ac detentionem patrimonij B. Petri, & nostri, Excommunicationis fuerat vinculo innodatus, Ecclesiæ reconciliari desiderat, & restitui ad Ecclesiastica sacramenta, ac super his pro quibus notatus fuerat, satisfactionem omnimodam exhibere. Licèt autem superioris sententiam minor relaxare nõ possit, & propter hoc Dux ipse, ad sedem esset Apostolicam, destinandus, vt ab ea quæ ipsum vinculis excommunicationis inuoluit, absolutionis beneficium obtineret, sperantes tamen quod per ipsius studiũ venerabilis frater noster Salernitanus Archiepiscopus de longeuę detentionis ergastulo liberetur, laborẽ itineris, ipsi sub ea conditione duximus remittendũ, si no-

si nostram super hoc, sicut bonæ memoriæ G. PP. prædecessori nostro pro te frater Episcope obtulit, impleuerit voluntatem. Ideoq; discretionis vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eodem Archiepiscopo libertati pristinæ restituto, & recepto à Duce iuxta formam Ecclesię iuramento, quod supra omnibus, pro quibus ab Ecclesia fuit communione amotus mandatis Apostolicis, omni dolo & excusatione postpositis, debeat obedire, munus absolutionis ipsi auctoritate freti Apostolica, impendatis. Quod si forsan eundem Archiepiscopum vel non potuerit, vel noluerit absoluere, vel et fortè distulerit, ad Ecclesiã Romanã accedat, à nobis iuxtà Ecclesiæ consuetudinem absoluendus. Datum vt suprà.

Abbati Lucę, Magistro Gerardo, G. Archipræsbyt. Sãcti Seuerini, pcuratoribus Ecclesiæ Salernitanę. Abbati Barch. Caputaquen. Ecclesiæ Pręcentori, vt quicquid in Ecclesia vel Diœcesi Salernitana Archiepiscopo Romoaldo in vinculis detento in concessionibus præbendarum, officiorũ, Ecclesiarum, attentatum est per potentiam laicalem, cassetur.

Incumbit nobis ex officii debito pastoralis, vt quæ in Ecclesiasticę libertatis præiudicium attentantur, infringere debeamus, & in statum debitum reuocare. Eapropter Venerabilis fratris nostri Romoaldi Salernitani Archiepiscopi cõsulentes honori, quicquid in Ecclesia, vel Diœcesi Salernitana in concessionibus præbendarum, beneficiorum, Ecclesiarum, & alijs Ecclesiasticis per Ioannem Principem, & Magistrum Gerardum, Qui memorato Archiepiscopo detento in vinculis, locum eius inuadere per laicalem potentiam attentarunt, occasione intrusionis factum est vel statutum, præsentium auctoritate cassamus, & carere decernimus robore firmitatis. Datum Lateran.

Cumq; Romoaldus prædictus legitimè certasset, nec solum verbo, sed exemplo vitæ, traditum sibi à Domino gregẽ

docuisset, ad cœlum tandem victor, vt corona decoraretur, euolauit, anno 1198. cum vixisset annos xxxij. Circa quę tempora Ciuitas sancta Hyerusalem, quam ab infidelibus ereptam per annos xc. Christiani tenuerant, iterum grauissimo Christiani orbis detrimento; ne dicam, dedecore, in infidelium manus deuenit.

Normannorum verò, Italorumq; ac aliarum nationũ Regum ac Principum, qui Salernitanæ ciuitatis per temporum curricula sunt moderati habenas, ac quare Regum primogeniti potius Salerni Principes quàm alio titulo vocari voluerint, necnon totius Vrbis prædictæ descriptionem Illustri ac nobilissimo viro Augustino Guarna patritio Salernitano ex sanguine prędictorum de Guarna præsulum, iure optimo omittimus, cum ad suorum conciuium splendorem, & ornamentum, ita accuratè & exactè omnia descripsit, vt nequid nimis: & vtinam non diutius laterent, ac in medium aliquãdo prodirent. Quare ne mireris lector candide, si in cæteris pontificibus describendis, Regum, & Principum nomina subticentur.

Anno Christi. 1199.

NICOLAVS secundus Piscicellus Neapolitanus, Abbas Sancti Leonardi de Strata, & decimusquintus Archiepiscopus Salernitanus; præfuit per plures annos; Archiepiscopale Palatium amplificauit. Huic scripsit Honorius tertius decretalem Epistolam, seu Caput primum ex litteris de officio Iudicis, in Decretalium libro. circa verò annum 1225. ab hac luce discessit, sepultusq; est ante portam æneam Ecclesiæ Salernitanæ.

Anno

Anno Christi. 1226.

CAESARIVS de Alagno patritius Amalphitanus, sextus decimus Archiepiscopus Salernitanus; permultos Salerni cum haberet consanguineos, cumq; Salernitana ei Ciuitas etiam, atq; etiam placeret, vitam ibi potius degebat. Vacauit eo tempore vna canonici sedes in maiore Ecclesia, ad quam licet aspirasset, voti tamen compos fieri non potuit, obstantibus Canonicis eiusdem Ecclesiæ, quòd Salernitanus Ciues non esset. Quo circa Salerni diutius manere noluit: Romam sese contulit, & ibidem, cùm in vtroq; iure cum primis excelleret, Auditor Rotæ creatus fuit. Aliquot post annis Archiepiscopali Sede Salerni vacante, id, quod Deo placuit, ad illam de voluntate Summi Pontificis Honorij Tertij delectus est; cumq; tali honore insignitus, primùm ipsam Salerni vrbem iniret, præcedentibus iuxtà veterem ritum, Canonicis, sic eos, qui sibi obstiterant, quominus Canonicatum obtineret, est affatus, Quem noluistis in fratrem, habetis in Pastorem. Præfuit anno 1226. & Primicerij dignitate Salernitanam Ecclesiam auxit. Ipso Præsule, ad instantiam Ioannis de Procida Salernitani Ciuis, præclaræ memoriæ, fuit Salernitanæ Ciuitati concessum à Rege Manfredo Nundinarum Priuilegium, in mense Septẽbri, per octo dies, in honorem B. Apostoli Matthæi: quo illius festus dies maiore hominũ frequentia celebraretur, cuius ẽt interuẽtu, uti familiaris, & Regis pdicti Cõsiliarij, qui ẽt meruit vocari gẽma Salerni, factus est portus in mari Ciuitatis prædictę. muniebat suas bullas plũbo cũ effigie B. Matthæi ex vna parte, ex altera verò nomen ipsius Cæsarij aderat, vt ad præsens cõspicitur, in ea præsertim Bulla in qua agitur de his,

quæ obseruari debent à Domino Archiepiscopo, & Reuerẽdo Capitulo Salernitano. Sanctorum Confessorum Quingesij, Cirini, & aliorum insuper Confessorum Corpora simul collegit, & in altari sub eodem vocabulo, in inferiore ipsius Ecclesiæ Basilica recondidit, quod & superius attigimus. Supra portam, quæ dicitur leonum, ipsius Ecclesiæ, varijs preciosis lapillis, eius imago inspicitur, contexta. Obdormiuit in Domino Amalphię, anno 1262. cùm trigintaseptem annos Ecclesiam suam optimè rexisset, ibiq; in Amalphitana Ecclesia iuxtà æneam portam sepultus est.

Anno Christi. 1263.

MATTHAEVS de Porta patritius Salernitanus, septimus decimus Archiepiscopus. Præfuit anno 1263. Originem duxit ab Illustribus viris Gayferio & Alberto Comitibus genere Longobardis, consanguineis quarto huius nominis Gisulfo Salernitanorum Principi, vt ex Donationis Priuilegio dicti Gisulfi Principis, supradictis Gayferio & Alberto Comitibus circa annum 1068. de Ecclesia Sancti Marci, quæ hodie dicitur della Porta, propè sedile Portæ Rotensis, cum suis stabilibus & grancijs, clarè conspicitur. Ex quibus successiuè nati sunt Petrus, Sergius, Euphranon, Matthæus, alter Euphranon, qui in Sicilia Insula loca Imperatoris Friderici circa annum 1199. Præsulatum gessit. Ex quo Thomas Miles Iuris ciuilis professor Caroli secundi Consiliarius & familiaris circa annum 1285. ortum duxit; hinc Mathęus alter de Porta de Salerno V. I. D. Regis Roberti Consiliarius & familiaris in anno 1305. similiter natus est. Qui in anno 1335. curauit Priuilegium Gisulfi Principis prędicti ad perpetuam rei memoriam exemplari, manu Landulfi

de Mi-

de Miranda eiusdem Ciuitatis notarij, præsentibus Iudice & quampluribus nobilibus pro testibus. Quæ Ecclesia Sancti Marci, veluti Iuspatronatus dictorum Illustrium DD. de Porta, fuit in anno 1594. ab Illustri Dño Abb. Paulo de Porta I. V. D. de eadem nobilissima familia donata & concessa, medio assensu Domini Archiepiscopi Salernitani Illustri Domino Francisco Antonio de Porta suo consanguineo & suis primogenitis prout in instrumento donationis huiusmodi, in anno prędicto manu magnifici Francisci Faracchæ de Salerno licet videre. Matthæus verò Archiepiscopus Pontificijs demum laboribus perfunctus, hominibus quidem desiderabilis, cœlestibus verò amabilis, ad æternā beatitudinem perfruendam euolauit, anno 1273. Indictione secunda in die Natalis Domini. Ex eius sepulchro in Salernitana Ecclesia.

Anno Christi. 1273.

PHILIPPVS Minutulus patritius Neapolitanus; præfuit Anno Domini 1273. octauus decimus Archiepiscopus Salernitanus. Mitram plurimis onustam gemmis, margaritis, e preciosis lapillis, auro, argentoq; contextam Ecclesię reliquit. Necnon argentea theca ponderis lib. octo, & vnc. decem, Brachium dextrum Apostoli Matthæi suo sumptu recondendum curauit. Huic Præsuli Carolus Siciliæ Rex anno 1295. Priuilegium exhibuit, quo ratas habet, & confirmat quasdam Caroli primogeniti sui literas, eas ad verbū inserendo per quas ipse Carolus primogenitus narrat, Philippum Archiepiscopum, Regiæ Curiæ Castrum Olibani, perdurante bello custodiendum, eiusdem Curię sumptibus, tradidisse, ideoq; præfecto Custodiæ mandat, dum Castrum custodit

ſtodit, Archiepiſcopum ſuper iuribus tam ſubditorum,quàm terrarum Olibani, ac Montis Corbini, vt moleſtari ne ſinat, & permittat illud, integris rebus omnibus,reſtituere. Alio inſuper Priuilegio Romæ anno 1295. edito Carolus ſecundus Rex indemnitatem cuſtodiæ caſtrorum Olibani,et Montis Corbini, dùm bella geruntur, promittit, atq; illud Salernitanæ Eccleſię Philippo Archiepiſcopo, ac ſucceſſoribus, reſtituere. Anno item 1299. Idem Carolus, bellorum tempore, Olibani cuſtodiæ præfecit ſuum quendam Ducē, apertè declarans ad Salernitanam Eccleſiam pertinere illud, neque ſuæ intentionis eſſe, vt Eccleſiæ iuribus officiat, ſibiq; ipſi actionem ullam vendicet. Defunctus eſt autem Philippus religioſus Antiſtes anno 1303. ſepultusq; maiori in Eccleſia Neapolitana, vbi ad eius tumulum, legitur huiuſmodi Epitaphium.

Iacet in hac tumba Dominus Minutulus Vrſus,
Pontificalis apex, quem præfert linea rurſus
Virtutum vitis, Philippi vera propago,
Pontificum gemma, vitæ probitatis imago,
Parthenope natum, Salernum Pontificatum,
Flentq; tale datum, moritur ſuper omnia gratum,
Parthenopeq; tibi Salernum Præſulis huius,
Commendat corpus, animam, Deus, accipe cuius.

Anno Chriſti. 1303.

GVLIELMVS ſecundus, cognomento, Magiſter, natione Gallus ex prouincia, Cancellarius Ducis Calabrię, primogeniti Caroli ſecundi Regis: nonus decimus Archiepiſcopus Salernitanus, pręfuit noſtræ ſalutis anno 1303. Hic apud Regem meritus eſt, vt octo dierum Nundinę, ad de

cem

cem prorogarentur dies. Ex priuilegio in Archiuio Salernitanę Ecclesiæ conscripto illius electionis anno primo. Ex hac vita migrauit anno 1306. Quo præside Rogerius de Dopno Musco Patritius Salernitanus fuit electus Archiepiscopus Montis Regalis.

Anno Christi. 1806.

BERARDVS primus, Vigesimus Archiepiscopus Salernitanus, pręfuit ab anno 1306. vsq; ad annum 1309. In quo naturę debitum persoluit.

Anno Christi. 1310.

ISAVRVS Episcopus Lunensis, vigesimus primus Archiepiscopus Salernitanus, dùm ad Salernitanam ipsam Ecclesiam regendam fuisset electus anno 1310. antequàm Salernum perueniret, Romæ obijt, electionis suæ anno primo.

Anno Christi. 1310.

ROBERTVS olim Archidiaconus de Sabolio in Cenomanensi Ecclesia, Capellanus & Thesaurarius Clemẽtis Quinti, vigesimus secundus Salernitanus Archiepiscopus fuit electus à dicto Clemente, cum Capitulum & Canonici Salernitani, penes quos, potestas Archiepiscopi eligendi ad illud vsq; tempus fuerat, inter se vehementer dissiderent; Alij namq; Franciscum Caratium Parisiensem; Alij verò Ioannẽ ex nobilissima familia de Rogerijs de Salerno, ambos Canonicos Salernitanos in Archiepiscopum eligere uolebãt, quos & in discordia elegerunt. Qui inter se contendentes, apud sedem

sedem Apostolicam, cùm suis iuribus caderent, Summus Pontifex Clemens prædictus, Robertum Capellanum, vt diximus, suum, Archiepiscopum Salernitanæ Ecclesię præfecit. Anno Christi 1310. Ac deinceps, Archiepiscopi Salernitani electio semper sanctæ Sedi Apostolicæ fuit reseruata. Vt ex Bulla supradicti Clementis ad suffraganeos Ecclesiæ Salernitanę, in cuius Archiuio asseruatur, licet videre. Ex terris abductus est Robertus anno 1317.

Anno Christi. 1318.

ONVFRIVS vigesimus tertius Archiepiscopus Salernitanus, præfuit Anno Domini 1318. ex eius Bulla.

Anno Christi 1319.

FRATER BERTRANDVS de Cambolico Vasconus Gallus Ordinis Minorum Conuentualiũ Diœcesis Caturcensis in sacra Theologia magister, Vigesimus Septimus Archiepiscopus Salernitanus, & à Ioanne XXIII. Auenione. anno 1320. fuit collegio Cardinalium coöptatus sub tit. SS. Siluestri, & Martini in Montibus, qui fuit vocatus Cardinalis Tusculanus. Præfuit suę Ecclesię circa annum 1319. Obijt Auenione, ibique sepultus, anno Domini 1326.

Anno Christi. 1327.

VRSVS vigesimus quartus Archiepiscopus Salernitanus pręfuit anno à partu Virginis 1327. Cuius Anniuersariũ in Ecclesia Salernitana tertio Decẽbris celebrari debet.

BENE-

BENEDICTVS secundus ex nobilissima familia de Capua, Vigesimus quintus Archiepiscopus Salernitanus.

ROGERIVS Sanseuerinius, Vigesimus sextus Archiepiscopus Salernitanus.

Anno Christi. 1332.

FRATER ARNALDVS vigesimus octauus Archiepiscopus Salernitanus, viuebat anno Domini 1332. ex eius Bulla.

Anno Christi. 1335.

BENEDICTVS tertius, vigesimus nonus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit anno 1335. ex eius Bulla.

Anno Christi. 1350.

BERARDVS secundus, trigesimus Archiepiscopus Salernitanus. Viuebat anno 1350. 24. Augusti Clemente Summo Pontifice.

Anno Christi. 1360.

BERTRANDVS trigesimus primus Archiepiscopus Salernitanus floruit sub Innocentio VI. à quo sui Pontificatus

catus ãno octauo,fuit miſſus ad Robertum Imperatorẽ Conſtantinopol. pro Achaiæ negotio explicando ,qui & Rhodũ etiam profectus eſt ad Magnum Magiſtrum ord. Hieroſolim. Vt ex Boſio in Hiſt. Hieroſolimit.

Anno Chriſti. 1364.

GVLIELMVS tertius Sanſeuerinius,trigeſimus ſecũdus Archiep. Salernitanus, præfuit Anno Dominicæ Incarnationis 1364. ex eius Bulla, in qua concedit Canonicis & Capitulo Salernitano Capellam Sanctiſſimæ Trinitatis in Eccleſia maiore. Hic donauit Eccleſiæ Salernitanæ precioſam illam cuſtodiam, ſeu vas cryſtallinum de Rocca nuncupatum, auro argentoq; mira arte elaboratum, ponderis librarum decem, in qua defertur vſq; ad hodiernã diem, eximia pompa, Sanctiſſimum & Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

IOANNES d'Acquauiua, nobiliſſima familia Neapolitana, trigeſimus tertius Archiepiſcopus Salernitanus.

Anno Chriſti. 1378.

GVLIELMVS quartus de Altauilla Neapolitanus, ex familia de Capua, trigeſimus quartus Archiepiſcopus Salernitanus, fuit ab Vrbano Sexto Diaconus Cardinalis creatus, Anno Domini 1378. cum titulo Sanctæ Mariæ in Coſmedin, mox præsbyter Cardinalis tituli Sancti Euſebij, poſtremò Sancti Cęlij in Monte. Mortuus eſt Romę anno 1389. anno Vrbani prædicti duodecimo.

Anno

Anno Christi. 1396.

FRATER LIGORIVS de Neapoli Abbas sacri Monasterij Cauensis ordinis S. Benedicti, trigesimus quartus Archiepiscopus Salernitanus. Præfuit Ecclesiæ prædictę anno 1396 ex eius Bulla, in qua agitur de concordia stipendiorum inter Archiepiscopum & Capitulum Salernitanum.

Anno Christi. 1406.

BARTHOLOMEVS de Aprano Neapolitanus, trigesimus sextus Archiepiscopus Salernitanus, pręfuit circiter Annum Domini 1406. Hic ære suo Argentea arcula pōderis librarum sex, recondendum curauit Brachium dextrū B. Virginis & Martyris Agathę. Quo pręsule Regina Margarita mater Ladislai Regis donauit Ecclesiæ nostrę Arcas illas tàm magnas, mireq; depictas, auro vndequaq; ornatas, quæ in Reliquiario præfatæ Ecclesiæ asseruantur. Cuius Reginæ Corpus in Ecclesia fratrum minorum Sancti Francisci Ciuitatis Salerni, admirando marmoreo tumulo requiescit. Bartholomeus verò, cùm vixisset annos octo, de præsidio & statione vitæ huius decessit, anno Domini 1414. jx. Septembris & in sua Metropolitana sepultus est.

Anno Christi. 1415.

NICOLAVS tertius Piscicellus Neapolitanus, trigesimus septimus Archiepiscopus Salernitanus; pręfuit

vsq; ad annum 1422. sub anno quinto Martini quinti ex præclarissima Columnensi familia. Huic Archiepiscopo, Ioanna secūda Hungariæ & Siciliæ Regina, oppidum Montis Corbini cum Castris, hominibusq; concessit, concessionemq; ratam habuit per priuilegium anno 1417. Neapoli exhibitum. Alio autem priuilegio in Atella (quod oppidum Auersam vulgus appellat) exhibito, eadem Regina memorat, Olibani Castrum bellorum tempore per Ladislaum Regem pignori datum esse, ob acceptas mutuas pecunias, Antonio & Paulo de Fusco fratribus Baronibus, ea tamen lege, vt dùm tale pignus penes se haberent, mediam omnium fructuum partē supradicti Castri, Salernitanæ Ecclesiæ, ad quam Castri possessio spectet, exoluerent. Quæ solutio si fieri desijsset, ipsa etiam Regina de huiusmodi media parte redituum Archiepiscopo satisfieri mandat.

Anno Christi. 1443.

BARNABAS Vrsinus Romanus, trigesimus octauus Archiepiscopus Salernitanus, maiorem ipsam Ecclesiam vndiq; minantem ruinam, ære suo reparauit. Quo præside in anno 1443. Andreas de Palearia patritius Salernitanus, fuit electus Archiepiscopus Amalphitanus. Felice Vrsino Principe.

Anno Domini. 1455.

NICOLAVS quartus Piscicellus Neapolitanus, trigesimus nonus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit anno 1455. sub Calisto III. Huic Antistiti, ac successoribus suis duobus

duobus priuilegijs Ferdinandus, & Ioannes Renatus Reges, Montem Corbinum, Olibanum, Sanctum Victorem cũ Castris annexis, hominibusq; inhabitantibus anno 1360. elargiti sunt.

Anno Christi 1471.

PETRVS GVLIELMVS de Rocca Hyspanus, Quadragesimus Archiepiscopus Salernitanus, Præfuit anno 1471. Ipso præsule facta fuit Icon in Altare maiori superioris Basilicę eius sumptu, reparauitq; Apsidis (vulgò tribunæ) labentis sinistrum latus. Mortuus est Romæ anno 1482. 18. Octobris, sepultusq; honorifico in tumulo Sanctæ Marię de Populo, cum hoc Epitaphio.

Petro Gulielmo Rocca Valentino, Salerni
Archiepiscopo V. Iu. Consultiss. Sixti IV.
Pont. Max. Referen. Primat. qui obijt
Anno salutis 1482. Die 18. Octobris.

Anno Christi. 1482.

IOANNES Aragonius Neapolitanus Regis Ferdinandi filius, summæ grauitatis Princeps, in Ecclesiasticis ceremonijs perdiligens, bonisq; artibus maximè deditus, quadragesimus primus Archiep. Salernitanus, pręfuit anno 1482. sub Sixto quarto. Quo præsule factũ ẽ Organũ magnitudine, pulchritudine, sonoq; præclarum. Multis à pueritia decoratus quidem fuit alijs honoribus; nam & Prothonotarius Apostolicus, & Tarentinus Archiepiscopus fuit. Administrauit etiam Strigoniæ Ecclesiam ab Apostolica Sede commissam,

pro-

propter Episcopi absentiam, qui transfugerat ad Fridericum Imperatorem, cum esset parum amicus Regis; Montem insuper Cassinum cum arcibus, ac reditibus illius Monasterij omnibus. Abbas etiam Sancti Laurentij Atellæ, vulgo Auersæ. Legatus de latere Sixti Quarti, in Regnis Hungariæ & finitimis fuit anno 1479. Et S. R. E. Diaconus Cardinalis, primum Sancti Adriani, deinde Præsbyter Sanctæ Sabinæ. Mortuus est XVI. Octobris, septima noctis hora, anno 1485. In palatio Diui Laurentij in Lucina, Romæ, & magnifica funeris pompa sepultus, ad Sanctę Sabinæ, sub apside, iuxta Altare maius in lateritio tumulo, sub cubiculis Honorij PP. Sed nullum nunc ibi extat vestigium, sicut nec ad S. Cæciliæ Aedem, vbi aliqui, sepultum, scribunt. Anno 1484. Synodicas constitutiones Salerni ædidit, quas è Latino in vulgarem sermonem transtulit Bartholomeus Capoblanco anno 1525.

Anno Christi. 1485.

OCTAVIANVS BENTIVOLVS Placentinus oriundus Eugubio, ex nobili Bentiuolorum Eugubina familia, quadragesimus secūdus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit anno 1485. die duodecimo Augusti, fuit electus ad instantiam Antonelli Sancti Seuerini Principis Salerni, ab Innocentio VIII. fuit prædicti Principis Secretarius, & legatus ad Innocentium pro Baronibus Regni. Qua legatione honorificè, & ex animi sententia perfunctus est. Vixit annos viij. & sepultus anno 1498.

Anno

Anno Christi. 1500.

IOANNES quartus de Vera Valentinus, quadragesimus tertius Archiepiscopus Salernitanus. Cardinalis ab Alexandro VI. creatus, tit. Sanctæ Balbinæ. Mortuus est anno 1507. Neapoli, sepultusq; in Ecclesia sancti Augustini, in Capella sanctæ Monicę, vbi extat Epitaphium.

Anno Christi. 1507.

FRIDERICVS Fregosius Genuēsis quadragesimus quartus Archiepiscopus Salernitanus, cœpit præesse Ecclesię prędictę āno 1507. & pacificè ꝑcepit illius fructus, vsq; ad annum 1525. Quo tempore cum acerrimū bellum inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum primum Gallorū Regem ferueret, isq; ad Galliæ partes defecisset, proditionis crimine notatus, ab administratione Ecclesiæ, fructuumque perceptione remotus est, cui administrandæ, fructibusq; percipiendis, Imperatore postulante, Sedes Apostolica suffecit Gattinarium prothonotarium Apostolicum, vsq; ad annum 1527. qui sub fine anni prędicti, pestis causa, Salerno discessit, & mortuus est. A quo tempore vsq; ad annum 1530. Regia Camera Summariæ collegit supradictos fructus, & Vicarius generalis fuit Episcopus Spinacensis. Hoc etiam tempore Magistratus Regij, pro Regni tutela spoliarunt Ecclesiā Salernitanam criminali iurisdictione in terris Montis Corbini & Olibani, quæ vsq; ad illa tempora fuerant sub spirituali & temporali dominio ipsius Ecclesię, sic etiā Castris vtriusq; terræ. Ab anno verò iam dicto vsq; ad 1533. Fridericus Archiepi-

chiepiscopus fuit in integrum restitutus,& sui Archiepiscopa tus fructibus potitus est, suiq; loco constituit pro Vicario Petrum Episcopum Minoritanum Amalphitanæ Dioecef. Anno verò 1539. creatus est Cardinalis à Paulo tertio. Mox autē Nicolao Cardinali Rodulfo resignauit Archiepiscopatum, cui etiam fuerunt sequestrati fructus Ecclesiæ iam dictæ, & sacro Cardinalium S. R. E. Collegio, dati. Friderico Præside, fuit erecta prima porta lignea Atrij Ecclesiæ Salernitanę, quæ vocatur Leonum, & secundo sui Archiepiscopatus anno Dioecesanam Synodum congregauit.

Anno Christi. 1334.

NICOLAVS quintus Rodulfus Florentinus quadragesimus quintus Archiepiscopus Salernitanus, S.R.E. Cardinalis, Præfuit anno 1534. sub Paulo tertio, & Carolo quinto Imperatore vsq; ad annum 1548. Quo tempore resignauit Archiepiscopatum Rodulfo Pio Cardinali Carpēsi, sub quo ad Salerni vastationem venit Ariadenus Barbarossa turca, insignis pirata, quod accidit anno 1544. Vigesima septima Iunij, & fugatus miraculo Apostoli, & Euangelistæ Matthæi, cùm sereno cœlo, magna repentè orta esset tempestas, impij voti minimè compos, confracta penè classe, aufugit. Quam sanè memoriam Ecclesia Salernitana ad hoc vsq; tempus, die dicta, pia, & solenni pompa per Ciuitatem Deo, ac beato Apostolo gratias agendo, prosequitur. Anno verò 1535. eodem etiam Nicolao Præsule, Salernum Carolus Quintus Imperator venit, ibiq; triduum moratus est Mēse Nouembri.

Anno

Anno Christi. 1548.

RODVLPHVS Pius Cardinalis Carpensis, Hispaniarum protector, quadragesimus sextus Archiepiscopus Salernitanus, præfuit anno 1548. vsq; ad annum 1549. & Archiepiscopatum Ludouico de Torres resignauit. Cuius Epitaphium legitur, ut infra.

Rodulpho Pio Card.
Carpen. Principi Senat.
Ampliss. Eccl. Dei Muneribus, Singulari prudentia perfuncto,
Iuris Ecclesiastici
Defensori. A gratia,
terrore, Voluptatum
Illecebris, & aduersis casibus æque in
uicto, ad beneficentiam nato, in summa
gravitate
iucundiss.

Pius V. Pont. Max. salutaris officii in custodia Catholicę
veritatis consorti,
Perpetuis de Christiana Repub. sensibus
studijsq; coniunctiss.
Hoc amoris, & iudicij
sui monumentum posuit An. Sal. M.D. LXVIII.
Pont. sui III. Vix. Annos
LXIIII Men. II. Dies VIII.
Obijt An. Sal. LXIII.
VI. non. Maias.

Anno Christi. 1549.

LVDOVICVS Ex nobilissima familia de Torres Malacitanus, Quadragesimus septimus Salernitanus Archiepiscopus, præfuit anno 1549. Reparauit anteriorem partem Atrij Ecclesiæ Salernitanæ, vulgo dictum, lo paradiso. De

cessit in vrbe 13. Augusti, anno 1553. sepultus ad S. Catharinæ de Rosa, postea in patriam translatus, marmoreo monumento in cathedrali conditus est, cum hoc Epitaphio,

Ludouico de Torres Caroli V. Imp. beneficio
Archiepiscopo Salerni, summis Pontificibus
Leoni X. Clem. VII. Paulo III. Iulio. III.
ob spectatam in publicis S. Sedis Apostolicæ
muneribus operam egregiè charo, insigni
in Deum pietate, in pauperes misericordia, in
amicos studio. Ludouicus de Torres Archiepiscopus Montis Regalis, translatis ab Vrbe
Roma in patriam ossibus, & in auitum sacellum
illatis; patruo optimo & B. M. P.
Vixit annos LVII. Obiit Anno salutis M. D.
LIII. Die 13. Augusti.

Tota Ciuitas in occursum effusa, ciuem suum magna cũ gratulatione, & reuerentia excepit. Eo præsule Campana immensæ ferè magnitudinis, quæ ad multa passuum millia sonum emittit, fabricata est; in ipsa enim Campana hæc leguntur insculpta. A fulgure, & tempestate, & morte perpetua libera nos domine. Ludouicus de Torres Archiepiscopus Salernitanus, præsulatus sui anno secundo, per Ioannem Baptistam Cauensem faciendam curauit. die 10. Augusti. Anno Domini 1550. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus venit in pace, & Deus homo factus est.

Anno Christi 1554.

HIERONYMVS Seripandus Neapolitanus, ordinis Eremitarum Sancti Augustini, sui ordinis Generalis, quadragesimus octauus Archiepiscopus Salernitanus à Pio IV. S.R.E. Cardinalis creatus. Præfuit anno 1554. Ecclesiam

siam,& Archiepiscopale Palatium, ac Atrium vndique ruinam minans, reparauit. Chorum fecit quadrilaterum ex tabulis nucis,ac Sacristiam,mira prorsus arte compactis ac elaboratis. Paramenta alba & rubra ex serico auroq; contexta, ac non nulla Argentea vasa,ad Altaris ministerium Ecclesię donauit. Eodemq; anno Diœcesanam habuit synodum. Vitam sanctissimè duxit, fuitq; in omni scientiarum, ac linguarum genere præcellentissimus. Legatione functus est in Tridentino Concilio, vbi anno 1563.& mortuus est, & sepultus, cùm annos in suo Archiepiscopatu vixisset nouem.

Anno Christi. 1563.

GASPAR Ceruantes de Gaete,Hyspanus,Messanæ primùm, mox quadragesimus nonus Salerni Archiepiscopus; præfuit annò 1563. sub Pio IV. Diœcesanam synodũ anno 1565. 22. Maii celebrauit,& prouincialẽ primam 1566. ex decreto concilij Tridentini. Et iterum Diœcesanam 1567. Puerorum Seminarium, octo insuper Clericos, vt perpetuò festis diebus dictæ Ecclesiæ Altari maiori inseruirent, instituit. Quibus octo Clericis mille aureos legauit. Locum, ædemq; ad reliquias Diuorum asseruandas, ac Reliquiarium ipsum ligneum, affabrè factum, quod videmus, construxit. Aquam à Riuo Faustini, seu, vbi Rephestina dicitur, extra Vrbem, opere subterraneo ad Ecclesiam ac Palatium Archiepiscopale deduxit: Anno verò 1569 aduocatus ab Rege Catholico, vt causæ Archiepiscopi Toletani, de hæretica prauitate iam accusati, assisteret, Tarraconensis Archiepiscopus electus est ab ipso Rege, & paulò post à Pio V. anno 1570. in Cardinalium Collegium cooptatus sub tit. Sancti Martini in Montibus.

Anno Christi. 1568.

MARCVS ANTONIVS primus Columna, Romanus, Tarentinæ primùm Ciuitatis Archiepiscopus, deinde præsbyter Cardinalis tit. SS. Apostolorum, quinquagesimus Antistes Salernitanus, præfuit anno 1568. de mense Nouẽbris, sub Pio Quinto; Vir in morali scientia, & in philosophandi studio, disciplinarumq; omnium principe Theologia, perfectissimus: Seminario iam instituto, delegit ex Ciuitate, Diœcesiq; Salernitana vigintiquatuor pueros alendos, & instruendos, anno 1570. Ipsum verò Collegij locum ferè à fũdamentis erigendum propè Ecclesiam curauit. Coacto etiã Prouincialium Episcoporum Concilio, anno Domini 1572. multa ad suæ Diœcesis, ac Prouinciæ reformationem, animarumq; salutem, sanciuit. In Suggesto verò egregiè vermiculato, à Romoaldo secundo constructo, ad dextram templi partem, paruum quoddam Reliquiarium ex marmore, pulchris itidem lapillis distinctum, ad asseruandas Diuorum reliquias, tertio tantum die Paschatis Resurrectionis Domini, vnde Populo tunc facilius commonstrarentur, ædificauit: Archiepiscopalem crucem argenteam, nec non vasa per multa ex argento Ecclesiæ donauit. Anno autem 1574. resignauit Archiepiscopatum Marco Antonio Columnę Marsilio Viro Amplissimo eius consobrino, qui à Gregorio Pontifice maximo fuit admissus ad præsentationem Philippi Regis inuictissimi, ad cuius præsentationem est Ecclesia Salernitana a Clemente septimo citrà, ad hæc nostra vsque tempora, Iure Regij Patronatus.

Anno

Anno Christi. 1574.

MARCVS ANTONIVS secundus Columna Marsilius Bononiensis Quinquagesimus primus Archiepiscopus; olim apud Philippum secundum Catholicum & inuictissimum Regem Capellanus, & Consiliarius: deinde Pij Quinti, & Gregorij decimitertij in vtraq; Signatura Referẽdarius, & Cancellariæ Apostolicæ Corrector, cum quinquẽnium laudabiliter in vrbe transegisset, de consensu eiusdem Marci Antonij Cardinalis, ad Regis præsentationem ab eodem Gregorio Salernitanæ Ecclesiæ præfectus est, vigesimo quinto Iunij 1574. Vir omni sanè doctrinarum, virtutum, ac linguarum genere, peritiaq; ornatissimus. Doctissimorum hominũ opera vtebatur semper, præcipuè vero M. Antonij Maffę I C. pietate, doctrina, et vsu rerum verè Illustris. In sui verò muneris functione diligentissimus, vt qui in Archiepiscopalis dignitatis fastigium euectus, post editum insignem illum de Redditibus Ecclesiasticis librum, Gregem sibi à Domino commissum sanctis legibus, optimisq; institutis munire cupiens, & quæ reformationis indigerent, omni cum diligẽtia reformare, Diœcesana synodo coacta, synodicas constitutiones edidit. Nec his præclarissimis ingenij fructibus contentus, in maximis sui muneris occupationibus Beati Matthęi Apostoli, & Euãgelistæ vitam, miracula, ipsius insuper templi, atque Ciuitatis descriptionem, mira cum arte contexuit. Ac nuper denique, celeberrimum illud quod Hydragiologiæ titulo prænotatur, opus emisit. Ex quo tanquã ex altero Oceano omnium artium, omniumq; disciplinarum genera copiosius effluunt, & emanant; continetq; præter latini sermonis puritatem, Hæbreorum, Græcorum, exterarumq;

rumq; omnium ferè gentium exquisitam linguarum cognitionem. Philosophorum præterea, Theologorum, antiquorumq; Patrum doctrinam satis mirificè complectitur. Idem de vniuersis excommunicationibus librum, siue opus erat aggressus, quod vtinam, in omnium sacrorum Canonum, ac Theologiæ studiosorum vtilitatem, absoluere potuisset. Ascitus enim Romam à Sixto quinto Sanctissimo Domino nostro, à quo iussus etiam fuit, suam proferre sententiam de Beatissimo Didaco in Diuorum numerum referendo: & præfecturæ Ciuitatis Camerini designatus, ibi cum sui officij partes, perdiligenter impleret, multo labore depressus, in grauem febris incidit morbum, ex quo vigesima quarta mẽsis Aprilis die, anno videlicet 1589. ætatis verò suæ annum quadragesimum septimum agens, mortuus est. Camerino, Romam Cadauer deportandum Illustrissimi Cardinales Marcus Antonius, & Ascanius Columna curauerunt, & in Ecclesia ss. Apostolorum honorificè sepultum, requiescit. Funus ei cum decenti pompa Camerini, Romæ, Bononiæ, Salerni factum est: fleuit enim Camerinum præsidentem, Roma dilectum, Bononia natum, Salernum Pastorem. Salernitanum porrò templum aliqua ex parte reparauit, atque ornauit. Reparationes, ornamentaq; breuitati consulentes, omittimus. Deinceps quæ in illius honorem commendata literis sunt, hic adscribemus, non omnia quidem, sed selecta quædam. Nolumus profectò vt lector admiretur, cur studiosiùs multò, quàm consueuimus, Marsilij Antistitis vitam laudesq; prosequamur, etenim inter illius domesticos familiares quondam viximus carissimi: cui igitur viuo obsequium præstitimus, mortuo idipsum negare noluimus.

Do-

DONATI LAVRERII,
In Obitum Domini M. Antonij Marsilij Archiepiscopi Salernitani.

ORATIO.

AD D. GASPAREM MVSCAM Decretorum Doctorem, Canonicum, & Vicarium Generalem Salernitanum, Sede Vacante.

CVM alij per multi Marsilium Columnam iurè, ac meritò lugeant, tùm vero ipse præcipuo quodam dolore prosequi debeo, & te cum ornatiss. Gaspar, vehementius deplorare. Cæteri quidem, quod nobilissimus vir, atque idem doctissimus ereptus fuerit, qui Christianam Rempublicam non minus doctrina posset, quàm nobilitate plurimum illustrare: ego verò, quod parentem, & eum quidem amantissimum amiserim, cuius beneuolentia & humanitate sic ad omnem virtutem promouebar, vt præclaros ex illa fructus mihi viderer aliquando percepturus. Cæteri virũ desiderent, qui præstantibus meritis videretur ad amplissimos honoris gradus ascensurus, Ego patronum studiosissimum, cuius & consilijs optimis, & subsidijs maximis consequi possem ea, quæ sunt optimo cuiq; semper expetenda. Cæteri Pastorem requirant, qui summa quadam, & singulari custodia Gregem seruaret incolumem, bonisq; magnis ac pluribus augeret: Ego Auctorem ac Ducem, cuius monitis fidelissimis eruditus, præceptisq; salutaribus quotidie confirmatus, optima, & honestissima queq; sperare possem.

Deplorabo igitur, & cum cæteris, & vobiscum iacturam, & communem & propriam & eiusmodi ratione, quando alia neq; alii, neque nos possumus, animos in eum pios, memoresq; præstemus. Quod quidem officium, quàm illi iure debeatur, ipse ille satis ostendet, ante oculos quasi præsens nobis constitutus. Obiit enim is, qui generis nobilitatem, ita cum virtute coniunxerat, ut vtra magis excelleret, aut nemo iam posset, aut solus ille percipere. Itaque cum illum familiæ splendor admirabilem; virtus verò etiam amabilem redderet vniuersis; extiterat in eo tertium illud eximium, & præclarum, quod animo quidem cernere possumus, oratione consequi certè non possumus. Magna quædam res est, claris fulgere maioribus, Maior insignibus coruscare virtutibus, Vtroque verò splendescere, singulare demùm est, ac prorsus eximium. Obijt is, qui mentem doctrinis omnibus expolitam penitus, & cumulatam cùm gereret; nemini se tamen præferre didicerat, quinetiam cæteros efferre, se ipsum demittere consueuerat ita, ut modestia certare semper ac vincere, sibi duceret, quàm pulcherrimum. Obijt is, qui suos ità mores composuerat, ut nihil vnquam, aut diceret, aut faceret, quod quicunque alius non magnoperè probaret, atq; suspiceret. Obijt is, qui maiores diligentissimè coleret, æquales humanissimè amplecteretur, minores amantissimè subleuaret. Obijt denique is, qui sacras, & diuinas res omnes, tam piè semper obire consueuerat, vt ea vel ipse peragens, vel alios peragentes intuens, egregiam daret significationem animi pietatis. Ergo virum tantum, & Pastorem amissum, quibus tandem studijs requiremus, quibus officijs prosequemur, quibus satis dignis lacrymis honorabimus? Equidem sic existimo (Gaspar optime) Duo esse præcipua, quæ præstantibus uiris, cum ex hac vita decesserint, debeamus: quorum alterum humana societas, alterum

Chri-

Christiana fides efflagitat :illa dolorem, hęc gratulationem desiderat. Ac primo quidem satisfacere in obitu tanti,tamq; salutaris Pastoris, qui possimus, ego sanè non video. Quis enim dolor par unquam fuerit iacturę tantæ, quam fecimus? Non possumus acceptum ex obitu tanti uiri vulnus curare ullis lachrymarum medicaminibus. Amisimus Pastorem uigilantissimum, amisimus parentem (quod ego præcipuè sentio, amisimus(inquam)parentem amantissimum. Quid igitur lachrymarum nos deceat oues, ac filios pastore tanto, ac parente destitutos? Decent quidem nos lachrymę, vel acerbissimę; sed nostra tantùm causa decent. Quamobrem ne uideamus nos ipsos potius,quàm illum lugere;gratulemur oues, ac filij (quod est alterum nostrum munus) & maximè gratulemur pastori, atq; parenti nimirum in cœlum recepto, quod eius nos tantùm causa decet. Nouimus Christianis imbuti pręceptis, beatos esse prorsus eos, qui moriuntur in Domino: atq; horum mortem somnum potius, & dici, & esse quàmuerissimè. Affui ego morienti, nihil in illo terroris, nihil tristitię, nihil earum perturbationum,quas afferre mors acerbior solet, ad extremum usq; spiritum animaduerti. Itaq; rebus cæteris constitutis prudenter imprimis, ac sanctè familiam uniuersam accersitam,pręstanti quadam animi submissione affatus, ut sibi condonarent, postulauit, si quemquam aliquando læsisset. O beatum planè uirum, & in Domino obeuntem. Fuit mors illa, fuit omnino somnus, & is quidē placidissimus. Quare lugeamus licet, sed nostra ipsorū causa lugeamus, non habemus in terris, qui dies ac noctes ouibus vigilet? At habemus in cœlo; qui nos perpetuò summū illum Pastorem conciliet. Destituti sumus iucundissimo Parentis aspectu? At patronum in cœlum transmisimus, qui nostras omnes causas, quàm pulcherrimè transigat, atq; defendat. Caremus hic Pręsule maximo, qui nos augere pos-

sit, & ornare bonis mortalibus. At cœlo reddidimus eum, qui sempiterna nobis munera curet, atq; conficiat multò melius, multoq; præstantius. Hęc igitur solatia repetentes animo, Calamitatem ex obitu Pastoris acceptam facilius feremus.

Quo pręside, Gregorio XIII. sedente, sub Illustrissimo Cardinali Columna Archiepiscopo. Aemilius Scattaretica patritius Salernitanus I. C. in eadem Salernitaua Ecclesia Canonicus & Primicerius, ad Cathedralem Rauellensem Ecclesiam nullius Diœcesis regendam, ob singulares eius animi dotes, fuit ordinatus Episcopus. Cuius Corpus in Ecclesia Conuentus Sancti Nicolai Ordinis Minorum de Obseruantia de Salerno in Cappella Sancti Didaci eiusdem familiæ, marmoreo sepulchro, reconditum quiescit.

Eodem etiam Pręsule, Sebastianus Maffa I. C. Salernitanus, uir sanè pręclarus, Ecclesię Cathedrali Carriatensi, Sanctæ Seuerinæ Archiepiscopo Suffraganeus regendę, ab eodem Gregorio Pontifice fuit electus Episcopus. Quemadmodum, & praeclarae memoriae Vincio ex eadem præstanti familia de Maffa de Salerno, à Leone X. Friderico Fregosio Archiepiscopo, Cathedrali Gaiacensi Ecclesiæ, Capuanæ Metropolis, fuerat Episcopatus onus graue, honorificè impositum. Qui cum verbo & exemplo, oues sibi à Domino creditas per annos aliquot instruxisset, Salerni moriens, in sua Cappella Sancti Nicolai de Palma subtus Aquam, vt in eius Epitaphio legitur, sepeliri uoluit. Quo etiam tempore (ut innumeros ex nostris in omni scientiarum genere præstantes, omittã) floruerũt Antonellus pater, Ioannes Nicolaus & Vincentius Concanonicus noster filij ex Illustri familia de Rogerijs de Salerno Philosophiæ, Medicinæ, ac sacrae Theologiae fidi interpretes; ita facundi & grati, ut ad eos audiendos

& in-

& inuisendos, cupida disciplinarum iuuentus, undique conflueret.



Anno Christi. 1591.

MARIVS Quinquagesimus secundus Archiepiscopus Salernitanus, Calatiæ natus, patre Carolo Bologni no Bononia oriundo, ex Illustri Bologninorum familia: ab ineunte ętate literarum studijs operam nauans, vtriusque iuris Doctoratu adepto, Romam petit, vbi Iustitię Referendarius efficitur. Cùmque id temporis Vgunoctorum secta in Galliis adeò inualuisset, vt Catholicam Religionem prosternere falsis dogmatibus, & armato milite crederent, ijs malis, vt occurreret Pius V. Sanctissimæ Mem. Pontifex, Fabium Archiepiscopum Nazarenum suum Nuntium ad hoc munus obeundum delegit; cuius hortatu à Carolo nono illi

us Regni Rege valido exercitu comparato sexdecim millia Vgunoctorum cum Principe Condeo eorum Duce vno con flictu trucidata sunt. Is, sapientissimum senem Consanguineum suum per quinquennium illuc consectatus, tantam in illis curis operam præstitit, ac virtutem ostendit, ut deinde à Gregorio X I I I· pro grauissimis negotijs ad eandem aulam fuerit & ipse transmissus. Cum interea in Agropiceno, & Ciuitate Bononia iuri dicendo laudabiliter præfuisset, ob eius uirtutum merita ab eodem Gregorio Archiepiscopatui Ansanensi pręficitur, vbi dum multa memoratu digna egisset, octauo anno à Sixto Quinto ad Anconę regimen vocatus, ea integritate res Terræ, & maris moderatus est, ut Pontifici, & Populo cumulatissimè satisfecerit. Illinc Serenissimo Philippo Rege poscente, & Pontifice annuente ad Crotonensem Ecclesiam, rebus sic exigentibus, transfertur, Vbi cùm faustè omnia ei contigissent biennio post ab eodem Sisto, feruentibus undique armis in Gallia, ob Christianissimi Regis internecionem, pro noui Regis creatione, tumultibusque sedandis in Regnum illud Nuntius destinatur. Deinde Gregorio XIV. in Pontificatu suffecto, cùm multi Archiepiscopatum Salernitanum per annum iam vacantem contendissent, ipse omnibus est antelatus, Pręsulatumque inijt vij. Idus Ianuarij anni 1591. ætatis suę verò 51. In qua, maximo Religionis exemplo, ac pietatis studio sedens, statim Diœcesim perlustrauit, visitauit Ecclesias, & oues cognouit; Synodum inde indixit, ac celebrauit singulis Annis. Ecclesiam ferè corruentem maximo sumptu, reparandam curauit, eandemque assiduis concionibus, sacrisque lectionibus à R. Theologo præstitis, ac Doctrinæ Christianę pronunciatione quoto Dominicę Die à Seminarij Alumnis facienda, magno populorum concursu, & frequentia decorauit,

uit, ac honestauit. Ad altaris ministerium nonnulla vasa argentea ac paramenta ad sacra peragenda, argento, & auro contexta, Ecclesię donauit. Eumque vigilantissimè pastorale munus exercentem, uberiores fructus in dies allaturum, eius Religio, virtus, & bene ante acta vita, pollicentur. Deus igitur Optimus Maximus illum diutissimè nobis incolumem seruet, & ad maiora euehat.

FINIS.



IOANNIS BAPTISTÆ PINTI de Rogerijs I. V. D. Carmen ad Lectorem.

HISTORICI MVSCAE, Lector, monumenta legistin?
Quid de illo sentis? da quoq; iudicium.
Id nostru n; esse virum, cui multum Patria, multum
Debeat, & Fratrum nobilis ipsa cohors.
Principibus Patriam, quos fama occluserat, ornat,
Pastores Populo restituitque suos,
Quos æuo occulerant iampridem tempora longo,
Educit reduces is breuiore stylo.
Sic tutelaris MATTHÆI facta coegit,
Si tamen angustè, verius illa satis.

SCIPIONIS THESAVRERII Carmen de MVSCA doctissimo Auctore.

LEGIT Apis flores, an MVSCA ignobilis oci?
Non MVSCA, at MVSCVM quæ bene, legit, olet.
MVSCA Apis hæc eadem, non quæ sibi MVSCA liquores
Imbibit: illa vorax, hæc pia sucta uomet.
Sanè Apis est, uaria collectos arbore flores
Nobis natura mellificare duce.
Non secus insignis MVSCA hæc Muscosa verendos
Quos legit Patres, aurea donat Apis.
Nunc ne dona fauûm violentur, Apostolus astat
Appositus costos, qui bene seruat opus.

INDEX EPISCOPORVM
de quibus in hoc opere actum est.

COMPENDIOLVM
VITAE ET TRANSLATIONVM CORPORIS BEATISSIMI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ MATTHÆI.



AVCTORE GASP. MVSCA Præsbytero Salernitano.



ATTHÆVS filius Alphęi, Capharnau Ciuitate Galileę natus, officio Telonarius, á Christo Domino vocatus, discipulus, & Apostolus factus, relictis omnibus, secutus est eum. Octauo verò anno, post Christi ascensionem, cùm Apostoli orbem terrarum ad eius Euangelium prędicandum inter se diuisissent, Matthęo Apostolo Æthiopia obuenit. Ad quam forti animo se recipiens, primùm in Macedoniam venit, & Thebanis Euangelium prædicauit. Hinc ad Parthos, mox in Palæstinam rediens, ad Hierapolim Ciuitatem Syrię, ad Myricam maris rubri, ad Antropophagos vsque per triennium verbum Dei annunciando penetrauit. Ad Principem Ciuitatem Æthiopiæ tandem, ad quam missus erat, sic Domino disponente, peruenit; In eaq; Ecclesiam Christianam fundauit, & uiginti tres Annos sedit.

Habuit plures Discipulos, inter quos fuerunt Candaces Eunuchus, quem Philippus Diaconus baptizauerat.

Egisippus Rex Æthiopiæ.

Euphenisla vxor Æthiopiæ Regis.

Euphigenia Regis Egisippi filia, consecrata in Virginitate cũ ducentis aljis Virginibus, martyr, per quam etiam Apostolus & Euangelista Matthæus Martirij corona decorari meruit.

Euphranon Regis Egisippi filius resuscitatus ab Apostolo, eiq; semper adhęsit vbique.

Beor filius Egisippi, post tyrannum Hirtacum, Regnum paternum accepit, anno ætatis vigesino quinto, & regnauit per triginta tres annos, semper vestigia præceptoris Matthæi secutus est, Ecclesiamq; Ethiopiæ satis auxit.

Multos alios discipulos habuit, Episcopos, Diaconos, & Alios.

Primus omnium instituit Aquam benedictam in Ecclesijs asseruandam.

Primus consecrauit Virgines. & est antiquus vsus in Ecclesia, contra Iouinianum,& Caluinum.

Primus scripsit Euangelium, patria, hoc est, hebræa lingua, sub Caligula Imperatore, hinc dictus est Euangelista.

Anno veró sexagesimo octauo à Christo nato, die Vigesima pri ma septembris in Regia Ciuitate Tarrio Æthiopiæ iussu Hirtaci Regis, dùm ad Altare, in quo sacra fecerat, pro consecratis virginibus, ipsisq; præsentibus oraret, gladio à Carnifice transuerberatus, Martyrij coronam suscepit: Ibiq; perhonorificè sepultus, Annos 252. permansit.

Anno 320. Mercatores Britanni Spiritu Sãcto ducti a d Tarriũ, iam à Barbaris vastatum, appulerunt, & ab Apostolo admoniti, inde Corpus eius in minorem Britanniam, Salomone Rege, ad Promontorium (antiquitus Goboa) hodie Promontorium sancti Matthæi, hinc eadem naui ad Regiam Ciuitatem Leggiam, transtulerunt, vbi per quinquaginta annos, quieuit.

A Leggia verò Anno 370. cùm à militibus Neapolitani Regni fuisset funditus euersa, Gauinius eorum Dux, reuelante Amelio Britanno sacerdote captiuo, inde Calabriam versus ad partes Lucaniæ naui gloriosum Apostoli corpus magna cum lætitia, & reuerentia, inimicorum spolijs & tanto thesauro onustus, transportauit, ibiq; per annos 584. mansit.

Quo tempore beatissimus Apostolus Pelagiæ cuidam Moniali Vetulæ in somnis Corpus suum manifestans, ipsa filio Athanasio monacho, qui in Altare quodam à Barbaris diruto, & vepribus vndequaque contecto, sacrum corpus reperiens, exinde ad par-

uam

nam Ecclesiam propè, Pęstanam Ciuitatem locauit. Hinc verò Ioannes Pęstanus Episcopus ad Cathedralem, vocabulo Sanctæ Mariæ, eximia pompa deportauit.

Anno verò 954. sub Agapito secundo, Bernardus secundus huius nominis Episcopus, ac Gisulfus Princeps Salernitanorum die sexta Maij, Corpus Apostoli ex Pęstana Ciuitate Salernum, in Cathedralem Ecclesiam sub vocabulo Sanctæ Mariæ Angelorum, transferri curarunt; in qua requieuit Annos 121.

Tandem circa Annum 1075. sub Gregorio septimo, fugato & expulso Gisulfo secundo à Duce Roberto Guiscardo, eius ære, tẽplum in honorem Beatissimi Apostoli Matthæi in sequenti anno ædificatum est, & in inferiori ipsius Templi Basilica corpus eiusdẽ Euangelistæ conditum, Alphano primo huius nominis Archiepiscopo. Qua in Ecclesia vsq; ad hodiernum diem, magna cum hominum frequentia, ac pietate colitur.

Dens Apostoli fuit ab Episcopo Pæstano Athanasio monacho, donatus, & brachium dexterum ipsius Euangelistæ, Adinolfo Beneuentano Duci, instante Gisulfo eius consanguineo, concessum iam hodie est Salerni in Reliquiario supradictæ Ecclesiæ. Itaq; Corpus totum integrum ad tutelam, & patrocinium Salernitanorum, ex quo sacrum Manna effluit, Dei opt. maximi benignitate, possidemus.

F I N I S.

Auctores, ex quibus hæc de Beati Apostoli & Euangelistæ Matthæi Vita breuiter & summatim excerpsimus sunt.


Romoaldus secundus Archiepiscopus Salernitanus.
Edimbertus Longobardus.
Frater Stefanus Lusignanus Ordinis Prędicatorum.
Marsilius Archiepiscopus Salernitanus.
Regius Episcopus Vici Equensis.

Errata	*sic*	*corrigito.*	*Errata*	*sic*	*corrigito.*
In fol. 11	Baronnius	Baronius	fol. 47	1806	1306
fol. 13	Eccleſſiæ	Eccleſiæ	fol. 48	vigeſimus ſeptimus	vig. quartus
fol. 15	Steodorici	Theodorici	fol. eodem	vigeſimus quartus	vig. quintus
fol. 19	Sighenulfos	Sighenolfus	fol. 49	vigeſimus quintus	vig. ſextus
fol. 22	popolo	populo	fol. eod.	vigeſimus ſextus	vig. ſeptimus
fol. 23	orundus	oriundus	fol. 51	trigeſimus quartus	trig. quintus
fol. 24	conſtruxerant	conſtruxerunt	fol. 50	capellam	cappellam
fol. 23	conſctipto	conſcripti	fol. 52	ſpectet	ſpectabat
fol. 34	Guglielmus	Gulielmus	fol. 55	capella	cappella
fol. 37	bonarumq;	bonorumq;	fol. 56	anno 1354	1534
fol. eod.	ſcipſi	ſcripſit	fol. 58	ad S. Catherinę	adde Eccleſiā
fol. 38	deliberaratione	deliberatione	fol. 60	Nouembris	Nouembri
fol. 41	diſcrettionis	diſcretioni	fol. 61	capellanas	cappellanas
fol. 44	loca	loco	fol. 63	te cum	tecum

Imprimatur.

Ardicinus Biandrà Vic. Gen. Neap.

M. Cherub. Veronen. Theol. Archiep. Neap. vidit.



Neapoli, Ex Typographia Stelliolæ, Ad Portam Regalem. 1594.


BIBLIOTECA
2
VITTORIO